TABVLÆ VNIVERSAM CHIRVRGIAM MIRO ORDINE COMPLECTEN-TES, EX ERVDITIORIBVS MEDICIS COLLECTAE.

PER HORATIVM MORVM MEDICVM FLORENTINVM.



LONDINI,
Excudebat Henricus Denhamus sub signo
stellæ inauratæ Typographus.

EXCELLENTI ARTIVM AC MEDICINÆ DOCTORI HIERONYMO CONFORTO,

Horatius Morus. S. P. D.

VM mecum memoria repeterem, vir præstantissime Hieronyme Cõforte, aureũ illud Censorij Catonis dictũ, quo dicere consueuerat, Otij ac negotij nobis reddendam esse rationẽ, indignũ sanè libero homine existimabam, si velut in tenebris delitescens, nullam vitæ meæ rationem redderem, ac viuus, vidénsque (vt elegantissimè Lucretius ait) vitam ipsam perderem. Quare hanc compendiosam de chirurgia artem simul inertis otij euitandi gratia, simul vt communi studiosorum iuuenum vtilitati aliqua in parte prodessem, mihi scribendam censui: quam quidem tibi vir præstantissime dicatam volui, cùm vt meæ erga te obseruantiæ pignus existeret (scio enim quantum tibi pro tua in me singulari humanitate debeam) tum vt ipsa haberet, sub cuius nomine, ac patrocinio in lucem tuta prodiret. Omnia enim (vt tu optimè nosti) vitilitigatoribus plena sunt, nihílque tam sincerum, tam egregiè limatum est, quod virulentas Homeromasticum linguas effugere possit. Quòd si te fautorem, ac patronum habuerit, nihil erit, quòd has laruas, aut Zoilos pertimescat. Is enim es tu, qui ob ingenij tui præstantiam, multijugam eruditionem, elimatam facundiam, ac morum integritatem, cæteráque eximias animi tui dotes, omnibus æquè charus, ac gratus sis, atque olim Cois ciuibus Hippocrates. Et vt paucis multa concludam, Hieronymus Confortus es. Accipe igitur vir excellentissime nostrum hoc quantuluncunque vel leuidense munus, & vt omnia soles, tuo benigno fauore prosequere: nam si hoc gratum tibi fuisse perspexero, ad maiora in dies sub tuis felicissimis auspicijs animus accendetur meus. Vale, ô decus meum. Datum Vrceis nouis, III Idus Ianuarias M D LXIX.

AD LECTOREM CANDIDVM.

PLVTARCHVS ille Cheroneus (Lector candidiſsime) vir doctiſsimus, & prudentiſsimus, cuius vel ſola monumenta ingenij haud plebeij hominem doctum efficere poſſent, vitam à Deo homini datam ad cognitionem exiſtimat: nam cognitio non ſolùm gloriam parit, ſed & virtutes in actum producit. Quod quidem eſſe veriſſimum re ipſa facillimè videmus: nam vnde tot excellentiſſimorum virorum nocturnæ, diurnæque vigiliæ? vnde tot exantlati labores? niſi vt ad rerum cognitionem peruenirent? atque ea quæ tum ex ſeipſis meditando, tum ex aliorum monumentis legendo cognouiſſent, in medium producerent? Horum ego (licèt omnium minimus) imitatus exempla, cum Dei Opt. Max. benignitate aliquantulum cognitionis in arte medica mihi comparauerim, id (quantuluncunque eſt) haud mihi ſoli, ſed & aliorum vtilitati comparatum volui. Neque enim (vt diuinus ille Plato ad Architam ſuum ſcripſit) nobis ſolùm nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria ſibi vendicat, partem amici. Cùm igitur has chirurgicas tabulas ex Joanne Tagaultio omnium ætatis ſuæ peritiſſimo ſcopellianis vigilijs elucubratas eo ordine compilauerim, vt vno intuitu ſingula facilè videri, ac comprehendi poſſint, eas ad ſtudioſorum iuuenum vtilitatem in lucem edendas curaui. Scio quidem fore nonnullos, qui noſtrum hunc officioſum laborem floccipendant, ac ſubſannent, rubiginoſóque dente rodant; at tu optime lector hæc (qualiacunque ſunt) non illis, ſed tibi ſcripta exiſtimes velim. Tu igitur hilari animo accipe, ac iure tuo fruere. Vale.

Tumorum


Tumor est præter naturam, incrementum, naturalem statum in corpore excedens, & læsionem actionis inducens: cuius differentiæ 13. Meth. Sumũtur, Vel a
Defluxu humoris
Calidi, vt
Sanguinis
Naturalis: qui est calidus & humidus, & ad corporis nutritionem idoneus. Qui. 13. Meth. si peccat quantitate, generat Phlegmonem veram, cuius causa
Materialis. i. subiectiua: quælibet est corporis pars exterior
Formalis
Dolor
Tensio
Calor
Rubor
Pulsatio
Efficiens
Externa
Contusio
Disruptio
Conuulsio
Fractura
Vulnus
Vlcus
Luxatio, & eiusmodi dolorem excitantia.
Interna vt,
Optimi sanguinis abundantia
Temperamentum
Aetas
Victus ratio
Grauitas
Ver
calida & humida.
Non naturalis: Require hoc signum. ♃
Bilis: Vide in sequenti signo. ♂
Frigidi: Vide signum. ☽
Congestione: cuius causæ efficientes sunt
Error virtutis Alterici
Imbecillitas Expultricis
Obstructio
Tumores hac via potiùs frigidi generantur quàm calidi.

De differentijs, cauſis,& curatione

Curatio, in qua conſiderandum quid ſit agendum, indicat morbi cauſa efficiens, quæ ſui ablationem poſcit. Idque

- Optima victus ratione ſecundùm debitam { Qualitatem / Quantitatem } hæc ad Phyſicum ſpectant.
- Medicamentis ſecundùm
  - Qualitatem contrariam humoris
    - Fluentis, vt
      - Auerſione: quæ fit ſanguinis miſſione à parte oppoſita ſecundùm rectum,frictionibus,balneis,ligaturis,ſcarificationibus, & eiuſmodi.
      - Repercuſſione: vt poſca. 13. Meth.aqua frigida, & vino auſtero; aut cataplaſmate Galeni. 2. ad Glauconem, ab Auicenna fen.3.lib.4 Trac.1.cap.3.deſcriptam,quod ℞ ſucci ſempervini libram vnam,vini craſſæ ſubſtantiæ & ſaporis acerbi libram ſemis,farinæ hordei quartum vnum, corticis malorum granatorum, & ſumach pulueriz atorum anna vnc.s. coquantur & fiat linimentum; & alijs refrigerantibus & adſtringentibus; idque in principio morbi: Quod eſt cùm particula incipit diſtendi; & fluxionis adeſt initium cum exiguo dolore:Et niſi ſit in emunctorijs Tumor,aut per criſim excitatus,aut à materia venenoſa progenitus: in his n. tribus caſibus repercuſſiua haud conueniunt. In augmento verò.i.quando Tumor attollitur, & ſymptomata augentur ipſis repellentibus nonnihil diſcutientium admiſcendum; quale eſt roſaceum Galeno 3.Simpli.medi.facul. At in ſtatu; quando prædicta omnia ſuum vigorẽ obtinent,nec ampliùs poſſunt augeri,niſi in aliam formam humor tranſmutetur,æquis portionibus miſcẽda ſunt reprimentia diſcutientibus:In quo caſu valet Galeni emplaſtrũ.13.Meth.quod ℞.medullæ panis frumẽti in aqua calida maceratæ, & expreſſæ lib.j.mellis optimi vn.3.miſceãtur & fiat emplaſtrũ.
      - Euacuatione puris reſoluentibus in declinatione, & ſi apoſtema reſoluitur.Quod cognoſcitur membri leuitate,& deficiente pulſatione; Qualia ſunt lana ſuccida, aut ſpongia, ſiue ſtuppæ vino calente imbuta poſteà expreſſæ,& explicatæ, aut hordei farina cum melle adhibita,& eiuſmodi.
      - Maturatione: ſi apoſtema tendit in putredinem, quod indicant, dolor intrinſecus,pulſatio, & caloris incrementum. Igitur applicandum emplaſtrum quod conficitur ex farina frumenti aqua & oleo. 2. ad Glau. aut ſimile.
      - Apertione: ſi ſuppuratio eſt facta; quæ his verſibus dignoſcitur:
        Durities longa,dolor,& calor aucti
        Signant pus fieri: ſed factum dicta remiſſa
        Sub digitis vndans,albeſcens pars & acuta.
        Quę apertio fieri debet ferro,aut medicamento adurente eo loco quo materia continetur, in loco inferiori, ſecundùm rugas,& proceſſus muſculorum; & nerui venæ & arteriæ quoad fieri poteſt vitandæ ſunt; Nec ſanies tota ſemel euacuanda: Ac demùm dolore quàm fieri poteſt minimo locus tractandus,facta apertione locus vt reliqua vlcera curari poſtulat.
    - Fluxi vt
      - Accidentium correctione vt
        - Doloris ſedatione,ex paſſo oleo roſaceo & pauca cera Galeno lana ſuccida excepto,ęſtate frigidum,hyeme verò tepidum, aut maluis coctis mixtiſq; furfure & roſaceo.Quòd ſi dolor acerbiſſimus ſit,hyoſciami folia ſub cineribus cocta,& axungiæ recenti permixta applicari poſſunt.
        - Recurſus humoris ad interiora, in quo caſu trahentibus medicamentis,atque cucurbitulis vtendum eſt.
        - Duritiei relictæ propter exſiccantia medicamenta incõſultò adhibita, cui ſuccurrimus ex Galeno radicibus cucumeris aſinini,aut brioniæ, aut aſari in aqua coctis,aut etiã caricas pingues ſibi adijcimus,deinde farinam cũ aqua admiſcemus, cui aliquid adipis anatis,vel ſuilli adiũgimus,& cataplaſma conficimus.
        - Putrefactionis, eam partem protinùs excindere oportet,aut ſcarificationibus profundis incidere, atq; ea operari,quę de Gangrena paulò infrà ſubſcribemus.
  - Quantitatem: Quæ morbi vehementia,ætate, anni tempore & morbi augenda, vel minuenda eſt.


Tenuior, & generatur Erisipelas; sapit.n.bilis naturam, cuius causas & curationem inferius suo loco adnotabimus.
Non naturalis, quia ob suam corruptelam ineptus est ad corporis nutritionem, & considerant, vel
In se, quia vel
Crassior & producit
Gangrenam
Sphacelum
Horum cau.
Materialis .i. subiectiua
Formalis
Caro in Gangrena
Caro & ossa in sphacelo
Coloris floridi extinctio
Dolor & pulsus recedunt
Graue olet
Partis mortificatio incipiens in Gangrena, confirmata in sphacelo.
Efficiens
Sanguinis crassi copia
Vitalis facultatis } Extinctio aut
Natiui caloris } interceptio.
Carbonem seu Antrax cuius causa
Materialis .i. subiectiua, quælibet est corporis pars exterior.
Formalis
Partis pruritus
Crusta cinericia, seu nigra
Caro circumiacens feruida instar bituminis splendens.
Dolor grauis & molestus
Febris maligna
Vomitus
Nausea
Cordis tremor
Animi deliquium
si fit ratione pestis.
Efficiens
Externa: Aëris contagium
Interna: sanguis crassus & impensè calidus, cui si permisceatur serosa humiditas fit carbo pustulosus.
Ratione alterius humoris sibi permixti, sidq; vel
Aequaliter; & æquales gignit affectus
Inæqualiter, vt si sanguis superet
Bilem
Pituitam
Melancholiam
producit
Phlegmonem erisipelatosum
Phlegmonem œdematosum
Phlegmonem scyrrhosum
Ex simplicium tumorum notione & curatione facili implexorum notio & curatio innotescit.

Curatio

Curatio, in qua conſiderandum quid ſit agẽdum, indicat morbi cauſa efficiens, quæ ſui ablationem requirit, idque fit

- Optima victus ratione
- Euacuatione
  - vniuerſali vt
    - Sanguinis miſſione
    - Pharmacia

    } ad phyſicum attinent.
  - Particulari vt
    - Profunda ſcarificatione
    - Aquæ ſalſæ ablutione
    - Medicamentorum putridis conſecratorum admotione, quale eſt, quod ex farina orobi, aut lolij, aut fabæ cum oxymellite uel ſyrupo acetoſo conficitur.
    - Nec inutile fuerit qualibet die locum ſcarificatum aceto calente vel multo lauare; & vbi feruor ſubſederit, vnguento Aegyptiaco vtendum. Quòd ſi malum increuerit, aliquem ex trochiſcis Andronis, Polidæ, vel Muſæ, aut Paſionis exquiſitiſſimè tritum, & aceto & vino dilutum, aut arſenicum præ omnibus valens admouemus. Sed conſideranda conſilio Galeni 2. ad Glau. quando hæc applicantur, ægrotantis, & partis affectæ natura, quando vno remedio non omnes curentur. Quibus remedijs ſi malum non cedit, membrum quod putreſcit abſcindere oportet; poſtea ferro candenti pars ſana adurenda, & porri ſucco cum ſale (Paulo autore) illinenda. Vbi verò putredo ſe remiſerit, quæ cruſtam reſoluunt adhibenda, vt eſt butyrum, aut aliquod ſimile vnctuoſum. Porrò reſoluta cruſta aceto pars abluenda, & ſupra emplaſtrum quod Rx mellis lib. s. Vitellos ouorum n. farinæ hordei vnc. vj. miſceantur & fiat emplaſtrum; cui poſt triduum apponi debent myrræ drac. x. vt melius vlcus mundificetur. Quibus ritè peractis, quæ carnem producunt, & cicatricem inducunt admouenda erunt.

Curatio in qua conſiderandum

- Quid ſit agendum, indicat morbi cauſa efficiens, quæ ſui ablationem poſcit, idque
  - Optima victus ratione, quæ ad Phyſicum pertinet
  - Medicamentis vt
    - Venæ ſectione ſecundum rectum ad animi deliquium 14. Meth. & 2. ad Glau. nullo alio impediente, ſcarificationibus profundis, ab his ventoſæ, aut hirudines applicandæ veniunt, poſteà aqua ſalſa locus affectus abluatur, deinde emplaſtrum Galeni, quod Rx plantaginis maris, lentium, panis furnacei ann. par. æquales. Quibus & gallas adiecit Auicennas, decoctis in aqua, admoueatur. Aut illud quod ex duobus pomis granatis in aceto coctis conficitur. Cæterùm optimum erit circumiacentes partes vnguento ex bolo armenia, roſaceo & aceto parato ſuperinducere.
    - Quòd ſi carbo nobis inducias dederit, maturatur, & aperitur Auicennæ emplaſtro ficubus, frumento, & ſale ſimul mixtis, aut illo Theodorici quod componitur ex vitellis ouorum & ſale, aut illo quod Rx mellis, ſalis, farinæ, frumenti, & ouorum luteorum ſimul mixtis, poſteà mundificatiuo ex apio detergendus.
    - Carboni porrò cruſtam habenti, validè exſiccantia applicanda ſunt: veluti eſt Galeni cataplaſma ex orobi farina & oxymellite compoſitum.
    - Carboni autem cum maligno vlcere complicato, valet Aegyptiacum, radix dracunculi, & ariſtolochiæ ex aceto trita & impoſita, calx, arſenicum, & ſandaracha; aut ferro ignito vtendum, cum extremis morbis extrema remedia adhibenda ſint, finis adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris adeſt. Poſthæc cruſta reſoluenda; & ablumpto carbunculo detergentibus, poſteà carne implentibus vtendum, de quibus tabula de vulneribus & vlceribus eſt ſcriptum.
- Ad id quod intendit chirurgus poſſit perficere nécne, indicat morbi ſæuitia & membrũ affectũ. Nam
  - Omnis carbo ex ſe eſt periculoſus
  - Quòd ſi accidentia ſemper increſcant, aut ſit (ex Auicenna) in emunctorijs propè membra principalia, aut circa ſtomachum & gulam (Celſo autore) periculoſiſſimus cenſetur: ſic ſi nigricat, aut liueſcit, neminem non iugulat. è contra contrarium iudicato.


♂ Bilis
Naturalis, quæ eſt humor calidus & ſiccus, ex tenuiore parte chyli generatus; qui ſi peccat qualitate producit 2. ad Glau. Eriſipela exquiſitum cuius cauſa
Materialis. i. ſubiectiua, cutis eſt exterior, ſed maximè faciei ſi Paulo adhibenda eſt fides, licèt tunc bili ſanguinis aliqua portio ſit admixta; ideò Paulus præcepit ex humeraria vena ſanguinem euacuare.
Formalis
Tumor
Dolor
minor quàm in Phlegmone
Calor vehemens febrem excitans
Color rubeus ad flauum vergens, ſed tactui ſubterfugit rurſúſque illabitur.
Efficiens
Externa vt
Frictiones
Motus violenti
Inſolatio
Medicamétorum calidorum admotio & eiuſmodi
Interna vt
Bilis ſeu ſubtilior pars ſanguinis feruidior
Temperamentum
Aetas
Victus ratio
Bilioſa
Non naturalis, ídque vel
In ſe: aut
Quia bilis naturalis per putredinem aduritur
Quia vitellina non naturalis per aduſtionem in venis, hepate, & ventriculo fiat porracea, æruginoſa, vel praſſina
Quæ ſi ſint
Tenues
Mediocres
Craſſæ
Producunt
Herpes miliare, licèt (teſte Oribaſio) aliquid pituitæ bili ſit admixtum: ſub his ponuntur Variolæ, & Morbilli 3. Epidemiarum.
Herpes excedens Galeno 14. Meth.
Phagedenæ. i. lupus & exulcerati cancri, de quibus vide inferiùs, cap. de cancro.
Ratione alterius humoris ſibi permixti; ídque
Aequaliter, & æquales gignit affectus
Inæqualiter, vt ſi bili ſit admixta minor portio.
Sanguinis
Pituitæ
Melãcholiæ
& generatur
Eriſipelas phlegmonoſum
Eriſipelas œdematoſum
Eriſipelas ſcyrrhoſum.

De differentijs, cauſis, & curatione

Curatio in qua conſiderandum

- Quid ſit agendum indicat morbi cauſa efficiens, quæ ſui ablationem requirit
  - Optima victus ratione in ſex rebus non naturalibus, ſecundùm Qualitatem / Quantitatem
  - Medicamento bilem euacuante ſi morbus eſt magnus, ſi verò paruus clyſtere tantùm, vt Galeno placuit
  - } hæc phyſici ſunt.
  - Localibus remedijs ſecundùm qualitatem contrariam humoris
    - Fluentis: infrigidantibus & reprimentibus, qualia ſunt Galeno ſolani ſuccus, ſemperuiuæ, portulacæ, pſillij, hyoſciami, lactucæ, & eiuſmodi; aut vnguentum album Galeni, cui ſi aceti paululùm adieceris præſtantius erit, actúque frigida ſemper ſunt applicanda, & liquida; & ſæpiùs amouenda priuſquàm manifeſtè incaleant, aut areſcant. Quibus miſceri poteſt (nec eſſitate vrgente) opij aliquid, aut cicutæ, aut mandragoræ. Terminus applicandorum remediorum eſt coloris partis mutatio. 14. Meth.
    - Fluxi: Vbi color fuerit mutatus, reſoluentia adhibenda ſunt, quale eſt quod Rx foliorum altheæ lib. j. quæ decoquantur in aqua; & contuſis addatur olei roſacei vnc. iij. argenti ſpumæ, ceruſæ an. 3. ij. s. iterum leuigantur cum ſucco ſolani, aut ſemperuiuæ, & micis panis adiunctis conficitur emplaſtrum & apponitur.
    - Quòd ſi fortè liuor apparuerit, cutis ſcarificetur, & ſuperapponatur cataplaſma ex hordeacea farina, & pluries aqua calida, aliquando muria (materia exiſtente craſſa) locus lauetur, vt materia craſſa foràs extrahatur.
    - Accidentium correctione vt { Doloris / Ardoris } Eiuſdem remedijs ſuprà in curatione phlegmonis citatis vtendum; ſicque faciendum, ſi materia ad interiora repat.
    - Quòd ſi eriſipelas exulceretur, adhibeatur vnguentum album, de litargyro, quibus ſi addatur aliquid recrementi plumbi, efficaciſſimum erit remedium.
- An id quod intendit chirurgus poſſit perficere néne, indicant ſubſequentes aphoriſmi
  - Eriſipelas 6. aph. 25. ab exterioribus verti ad interiora, malum
  - In oſſis denudatione 7. aph. 19. Eriſipelas malum
  - Mulieri grauidæ 5. aph. 43. ſi in vtero ſuperueniat eriſipelas, mortale
  - Ab eriſipelate. 5. aph. 44. putredo malum
  - Eriſipelata quæ capiti ſuperueniunt periculoſa eſſe ſolent, Paulo auctore.

Horum cauſa

- Materialis. i. ſubiectiua, cutis in herpete miliari
- cutis & caro ſuppoſita in herpete exedenti
- Formalis
  - Puſtu.. paruæ ad milij formam
  - Color flauus
  - Punctura ad inſtar formicæ
  - Exulceratio cutis ad carnem ſuppoſitam in herpete exedenti
- Efficiens
  - Bilis non naturalis cui eſt aliquid pituitæ admixtum in herpete miliari
  - Bilis non naturalis craſſior & acrior in herpete exedenti
- } Curatio quæ perficitur cauſa efficientis amotione; idq;
  - Optima victus ratione Medicamentis purgantibus } ſed hæc phyſici ſunt.
  - Poſtea reprimentibus. Nam 14. Meth. reprimentia adhibẽda nõ ſunt corpore prauis humoribus referto. Quę reprimentia debẽt eſſe frigida & ſicca, vt ſunt vitis capreoli, folia rubi, & cani rubi, & plantaginis maris; poſthæc verò & lenticulã adiungere oportet, & aliquando mel, & farinam hordeaceam. Idq; faciendũ materia adhuc fluente.
  - Materia iam fluxa digerentibus vtendum vt cataplaſmate ex corticibus mali punici vino decoctis; & ſumac & hordei farina compoſito. Poſthęc exſiccantibus non valdè aſperis vtendũ, vt vulnus ad cicatricem perducatur. Quorum ſylua extat apud graues auctores; ideò illuc recurrendum, quando hic breuitati ſtudeamus.


D. Frigidi, vt
Pituitæ
Naturalis, quæ est frigida & humida, substantia cruda, colore vergens ad quandam albedinem: quæ si peccat quantitate producit Oedema, cuius causa
Materialis. i. subiectiua, quælibet est corporis pars exterior
Formalis
Tumor laxus, si quis prematur digitis, vestigium reliquit
Color albus
Doloris expers
Efficiens
Humor pituitosus naturalis
Temperamentum
Aetas
Victus ratio
frigida & humida
Non naturalis, vel
In se, quia conuertitur in substantiam
Aquosam
Flatuosam
Crassã
Gipseã
Salsam
Et producunt tumorem
Aquosum, sub quo phlictenæ, cuius causa
Materialis
Corpus vniuersum, vt in ascite 6. sym. causis
Caput
Scrotum
Testiculi
Pedes
Iuncturæ
Formalis
Tumor laxus & splendens cùm ad lucem intuetur
Reliqua œdematis signa
Efficiens
Imbecillitatis calidi innati
Serosus humor pituitosus
Temperamentum
Aetas
Victus ratio
humida
Flatuosum
Vide hoc signum ♀
Nodos, glandulas, & eiusmodi
Nodos duros insanabiles
Fistulas & vlcera scrofulosa, de quibus tabula de vlceribus erit descriptum.
Admixtione aliorum humorum, idque vel
Aequaliter, & æquales gignit affectus
Inæqualiter vt si pituita superet
Sanguinem
Bilem
Melancholiam
Generatur
Oedema phlegmonosum
Oedema erisipelatosum
Oedema scyrrhosum
Melancholiæ: vide sequens signum. ♄.

Curatur cauſæ efficientis abſolutione, idque conſequimur
- Optima victus ratione in ſex rebus non naturalibus ſecundùm debitam { Qualitatem / Quantitatem } Hæc ad Phyſicum attinent.
- Medicamentis ſecundùm debitam qualitatem cõtrariam humoris
  - Fluentis vt { Præparatione oxymellite aliquo & euacuatione per phlegmagoga / Repercuſſione ſiccantibus & digerentibus; Quæ variantur iuxta morbi tempora, vt in principio ſpongiam nouam, vel aliam lixiuio ablutam, in poſca (vt bibi poſſit) imbutam, & ligatam, ab inferiori parte incipiens arctiùs, & ſuprà deſinens remiſſiùs, vt 14. Meth. & ſecundo ad Glau. bonum eſt. Quòdſi huic remedio acetum amplius, vel modicum aluminis (poſca non proficiente) addideris, remedium incrementi tempore valdè conueniens effecetis.
  - Fluxi vt
    - Euacuatione, puris reſoluentibus i tatu & declinatione admotis, vt eſt ſpongia noua in [illegible]o imbuta ex cinere fici, vitis, & quercus præparato; & applicata.
    - In œdemate inueterato ſecundo ad Glau. Galenus vtebatur olei vnctione, & ſpongiam lixiuio plenam arctiùs ſuperligabat.
    - Maturatione. Si œdema tendit in putredinem, vnguentum è ſuccis Diachylon, præcipuè illud Rogerij maximè confert.
    - Apertione ferro candenti, aut medicamento cauſtico; Deinde ſordes vnguento Apoſtolorum, vel mundificatiuo ex apio & abſinthij ſucco detergatur.
    - Accidentium correctione, vt
      - Doloris. Quod ſedatur œſipo humida, vel vino cocto, aut cerato ex oleo camomillino, de abſinthio, ſpica, & cera præparato.
      - Duritiei: emollitur, & reſoluitur medulla bubula, aut ceruina, aut alia ſimili.

Curatio cauſæ efficientis amotione perficitur, idque
- Optima victus ratione
- Calidi innati reſtauratione
- Seroſi humoris per aluum & vrinas euacuatione } Quæ omnia ad Medicum attinent.
- Seroſi humoris in parte affecta euacuatione & exſiccatione, vt oxirhodino & ſale. 14. Meth. 2. ad Glauconem. Spongia noua lixiuio imbuta, cui ſit admixtum alumen ſulfur & nitrum. Aut hoc emplaſtro Auicennæ quod ℞ ſeminum ſinapis, ſeminum vrticæ, ſulfuris, ſpumæ maris, ariſtolochiæ rotundæ, bdelij an. vnc. j. ammoniaci, olei antiqui, ceræ an. vnc. ij. Quòdſi hoc emplaſtro curari non poteſt, inciſione cum ferro vtendum, deinde detergendum, & aliorum ſordidorum vlcerum more, curandum.

♀. Flatuoſum cuius cauſa
- Materialis. i. ſubiecti-ua
  - Membrana, quæ circundat muſculos, viſcera aut oſſa.
  - Ventriculum
  - Inteſtina vt in colicis
  - Peritoneum vt in timpanite
- Formalis
  - Tumor tactui renitens, & ſonum reddit vt tympanum quando percutitur.
  - Splendet
  - Dolor adeſt tentiuus
- Efficiens
  - Externa vt contuſio
  - Interna vt
    - Imbecillitas caloris natiui 6. de morborum & ſymp. cauſis
    - Meatus denſitas ex Auicenna
    - Materia humida.

♀
- Nodi, ſeu dubelete Auicennæ
- Glandulæ, ganglia, ſeu lupia
- Broncocele. i. botium, ſeu hernia gutturis
- Scrofulæ. i. ſtrumæ, ſeu cherades
- Fugile Auicennæ. i. bubo Guidonis. i. parotidæ
- Steatomata, ſub quibus napta, in quibus veluti adeps reperitur
- Atheromata, quæ in ſe continent quid pulti ſimile
- Melicerides, ſub quibus teſtudo, & talpa, quæ in ſe continent humorem ſubſtantiam mellis referentem.

Horũ omnium cauſa
- Materialis quęlibet ferè corporis pars exterior, licèt quorundam ſit pars propria, vt ex eorum natura videre licet.
- Formalis
  - Tumores concolores
  - Renitentes tactui
  - Indolentes
  - Mobiles qui cyſtim habent.
  - Immobiles qui cyſtim non habent.
- Efficiens pituita craſſa, quæ ſi diutiùs in parte affecta aliquando maneat, in varias formas mutatur, etenim lapides, arenæ, ligna, carbones, amurca & eiuſmodi in abſceſſibus inueniuntur.

Hic ob chartæ penuriam curatio particularis Steatomatis Atheromatis, & Meliceridis in ſchemate adnotatur.

Verùm animaduerte ne cyſtis illa incidendo diſrumpatur, aut exedendo portio aliqua relinquatur.

Curatur

Curatur cauſę efficientis abolitione: vt

Optima victus ratione,qua color natiuus reſtauratur, & virtus concoctrix roboratur, quæ ad phyſicum pertinet.

Vaporum extenuatione
Meatuum apertione } Hæc medicamentis extenuantibus, & calefacientibus perficitur, & alterantur prout magis vel minus ſunt crafſi & denſi.

Horum remediorum materia apud Galenum 24. Meth. reperitur. Vbi in artubus tumore flatuoſo ſine dolore exiſtente ſpongiam lixiuio imbutam adhibet. Dolore præſente antequam ſpongiam applicet oleo aliquo diſcutiente partem affectam inungit. Porrò ſi ex contuſione tumor flatuoſus naſcatur, in principio ipſe vtitur ſapa, vino, exiguo aceto & oleo ſimul mixtis, oleum & vinum addens & minuens, pro doloris ratione. Nam maximo exiſtente dolore, vinum & oleum maiori portione addit; in minori verò dolore, minuit. Tranſacto principio,& ceſſante dolore,lixiuium & acetum loco vini medicamento imponit. Cæterùm, ſi flatuoſus tumor fuerit eleuatus à materia venenoſa cum dolore intollerabili, & vehementi calore per membra diſcurrens; quod periculo vtique non vacat: nullum tutius remedium inueniri poteſt, quàm vbi in parte quapiam collectus ſit, partem ipſam protinùs infrà ſupráque adligare, ac in medio nouacula,vel ferro candenti tumorem aperire. Deinde hiantem plagam aloe, boloarmenia ex roſaceo & aceto diſſolutis implere. Tranſactis tribus diebus vel quatuor,vulnus carne opplere,& ad cicatricem producere.

Curantur cauſæ efficientis remotione: vt

Optima victus ratione
Medicamentis per aluum,& vrinas pituitam educentibus admotione } Phyſici ſunt.

Reſolutione per halitum in pituitoſis tumoribus mollibus, & paruis, veluti eſt lupia in brachijs, cruribus, & ſummis partibus exiſtentibus; vbi tumor eſt ex diſſectione, ne particula mutila reddatur, tandiu molliter perfricantur, vſque dum aliquantulum incaleſcant, & ſeipſis molliores quodammodo fiant, poſteà pars affecta aliqua re ſolida percutiatur, vt cyſtis diſrumpatur & humor diſſipetur; poſteà lamina plumbea ſuper arctè ligetur. Quòdſi caput aut frontem occupabunt, præcidi poſſunt, & auelli, poſt quorum auulſionem, medicamentis vtitor cruentis vulneribus dicatis.

Eadem ratione (licèt validioribus remedijs) curantur tumores pituitoſi duri & magni, vt emplaſtro Galeni 6. de comp. med. ſecundum genera, quod ℞ olei veteris lib. j. viridis æris 3. xiij. picis ficcæ vnc. vj. laudani vnc. iij. litargyri lib. j. Galbani vnc. iij. litargyrum cum oleo incoquito, cùm autem inſpiſſata fuerit pix & ærugo immittuntur, deinde laudanum galbanúmque, atque ſic in mortario transfuſa ſubiguntur, & vſui reſeruatur. Verùm ſi remedia huc ſpectantia plura requiris, multa extat copia apud graues auctores ad ſtrumas dicatas, ideò illuc recurre.

Suppuratione,quando his remedijs nil proficimus haliabbatis emplaſtro, aut quid ſimile quod conſtat farina hordei pice & olibano cum lotio pueri,vel decocto coriandri,vt placuit Auicennæ,ſimul mixtis,vtitor.

Apertione,aut } Ferro vt docuit nos Albucaſis,& deterſione vnguento Apoſtolorum aut Aegyptiaco medicamento exedenti, quale eſt illud quod conſtat calce & ſapone; poſteà cruſtam ſecundum longum verſus profundum incidito, & aliquo exedente medicamento vulnus impleto. inter quæ valdè eſt efficax arſenicum ad quantitatem medij grani frumenti adhibitum in robuſtis corporibus & membris à principalibus remotis, nam in delicatis corporibus & membris principibus propinquis minori quantitate imponendum & circumiacentes partes vnguento populeo ne illinito. Quando porrò glandula erit corrupta (quod ex duritie & tumore cruſtæ inductæ dignoſcitur) tunc cruſta butiro erit reſoluenda, quæ vbi exciderit, ſi quicquam ex glandula remanſit, Aegyptiaco vnguento remouendum. At ſi nihil amplius ſuperſit, more aliorum vlcerum ad ſanitatem perducatur.


Naturalis, quæ est boni sanguinis fex, colore nigra, sapore acetosa, quæ si peccat quãtitate verum scyrrhum, sed non exquisitum procreat, tamen 14. Meth. ne nominibus contendat Galenus etiam & hoc exquisitum nominari permittit, cuius causa
Materialis i. subiectiua, quælibet est corporis pars exterior
Formalis
Tumor durus ferè insensibilis
Tactui renitens
Colore fusco vel liuido
Dolore carens
Efficiens
Humor melancholicus naturalis
Temperamentum
Aetas
Victus ratio
melancholica.
ℏ. Melancholiæ.
Non naturalis, vel
In se, vt
Quando humor melancholicus torretur, & putrefit. 14. Meth. li. de atra bile & 4. Aph. 21.
Quando reliqui humores per assationem in atram bilem conuertunt. hæcque 3. prog. 29. prima est deterior
Generantur cãcri vlcerati vel non vlcerati, qui cancri occulti appellantur, quorum causa
Materialis, id est, subiectiua, quælibet est corporis pars exterior, sed præcipuè faciei, & mulierum mammæ.
Formalis
Tumor liuidus seu niger
Venæ quæ in ambitu sunt intumescunt.
Tumor visu mollis, tactu durus
Dolor pungitiuus
Quòd si exulceretur, saniem olidam mittit
Profundum suffodit
Efficiens humor melancholicus non naturalis.
Quando humores incuria medicinimis infrigidando aut resoluendo lapidescunt & tunc generantur
Scyrrhi illegitimi, sed non exquisiti, vt quando pars non omninò sine sensu est, sed ægrè sentit.
Scyrrhi exquisiti; quando sine sensu omninò in Tophaceam naturam concretus est humor, & hos tanquam incurabiles curare ne aggrediter.
Admixtione aliorum humorum, vel
Aequaliter, & æquales gignit affectus
Inæqualiter vt si melancholia superet
Sanguinem
Bilim
Pituitam
Producit
Scyrrhum phlegmonosum
Scyrrhum erisipelatosum
Scyrrhum œdematosum.

Curatur

Curatur cauſę efficientis profligatione, vt

- Optima victus ratione
- Euacuatione { Sanguinis miſſione } Medico ſunt propria. / Pharmacia
- Repercuſſione aliqua moderata in principio
- Reſolutione: Quæ ſit medicamentis mixtam facultatem habentibus. Quale eſt medicamentum Raſis 7. ad Almanſorem, quod ℞ Bdelij, ammoniaci, galbani an. par. æqua. terantur in mortario cum oleo de lilio, deinde ſume mucillaginem fænigręci, ſeminis lini & ficuum ad pondus omnium prædictorum, terantur omnia ſimul donec in vnum coeant, & fiat emplaſtrum. Vel cataplaſmate Galeni 14. Meth. vtere quod conſtituitur ex radicibus altheæ, adipe anatis, vel gallinę, liquatis, & contuſis.

Curationem conſequimur cauſæ efficientis amotione, vt

- Optima victus ratione
- Euacuatione
  - Vniuerſali vt { Sanguinis miſſione / Pharmacia } ad phyſicum attinent.
  - Particulari; vt ſi per chirurgiam cancrum ſanari liceat, quod vitioſum eſt, prorſus excindito, & ſanguinem ſatis multum effluere ſinito, craſſioremque ex vicinis partibus exprimito, atque affectum tandem vt reliqua vlcera ſanato.

Curantur

- Repellentibus in principio ante medicamentum, & in purgatione, vt ſolani ſucco vel medicamento ex pompholige, aut diapalma doloroſo loco applicatis medicamentis emollientibus, & reſoluentibus, vt medulla vitulina, ceruina, & ſepo vrſino aut taurino, & adipe anſerina, aut gallinacea cum radicibus altheæ, aut folijs maluæ decoctis, contuſis, & applicatis. Quibus, materia emollita, ſi acetum admiſceatur efficaciſſimum. 14. Meth. erit remedium. Sed vide ordinem quem ſecutus eſt Galenus ſecundo ad Glau. in cura Cercilij pueri ſcyrrhum in femore habentis in ſcyrrhoſis affectibus tendonibus & ligamentis contingentibus, quotidie pars oleo haud adſtringente, quale eſt ſabinum, aut in quo altheæ radix, aut cucumeris aſinini incocta ſit, perfundenda eſt; deinde lapis pyrites, aut eo quo triticum teritur igni candens aceto acerrimo extinguendus eſt, & in fumo aſcendente pars affecta commoueri debet, atque exinde rurſus medicamentum quod emolliat imponendum.

Finis Tumorum præter naturam.

Vulnus


Vulnus 3. Meth. est solutio continuitatis ex vulnerando in carnosa parte relicta, cuius differentię sumuntur, vel à
Natura particularium in quibus consistunt, vt in parte
Similari
Molli, vt in
Carne
Pinguedine
Dura, vt in
Osse
Iunctura
Neruo
Puncto & punctura est vel
Cæca. a.
Hiat.
Præciso secdm.
Longum. b.
Partem. c.
Transuersum, secdm.
Totum & neruus apparet
Nudus. d.
Non nudus.
Contuso
Cum cute. e.
Sine cute. f.
Tendone
Ligamento
Mediocri vt in
Arteria præcisa. g. communis arterijs & venis
Vena
Præcisa
Aperta vt in anastomosi
Rarefacta, vt in diapedesi
Erosa vt in anabrosi
Contusa, vt in echymosi
ex
Gladio & sagitta
Tensione quæ fit
Actionis vehementia
Succorum abundantia
Casu ab alto
Graui quopiam incidente
Ex succo mordaci
h
Lapide aut alio quouis duro.
Instrumentali
Principi vt in
Corde
Cerebro
Iecinore
Principi subministrante vt in
Aspera arteria
Gula
Vesica
Principi subseruiente, vt in
Naso
Aure
Oculis
Manu
Pede
Essentia ipsius solutionis continui
Simplicis i. sine deperditione substantiæ, & alteri affectui non complicatæ. i
Compositæ. i. cũ deperditione substantiæ, & complicatę vel
Symptomati & dicitur vulnus
Doloroſum. k.
Dolore carens
Pruritu affligens. l.
Cum delirio. m.
Cum spasmo. n.
Cum paralysi. o.
Cum sanguinis profusione. p.
Cum syncopi. q.
Morbo vt
Cum intemperie. r.
Cum phlegmone
Cum erisipelate
s.
Cum carne supercrescenti. t.
Cum reliquis vlceribus attinentibus. u.
Proprijs differentijs ipsius solutionis cõtinui, vt à
Modo generationis & dicitur vulnus
Quantitate & dicitur vulnus
Magnum. x.
Paruum. y.
Breue
Longum
Latum
Angustum
Superficiale
z.
Profundum. &.
Æquale. ↄ.
Inæquale
Figura & dicitur vulnus
Rectum
Obliquum
Retortum
Aduncum
Contusum. ɣ.
Incisum
Partim contusum, partim incisum


Vulneris cauſa eſt vel
Animata vt
Venenatorum pũctura
Ferarum morſus.
Inanimata vt
Enſis
Baculus
Lapis
Aut aliud quoduis ſimile
Curatio vniuerſalis (nam particularem vnicuique vulnerum differentiæ ſecundùm ſeriem litterarum propriam apponemus) in qua conſiderandum
An id quod intendit chirurgus poſſit conſequi necne, oſtendunt ea, quæ ab Hipp. 6. aph. 18. ſunt deſcripta, & in commento Galenus inquit, vulnerum quædam læthalia
Quid ſit agendum; indicat affectus natura, quæ ſui ablationem deſiderat, idque perficitur vel à
Natura tanquam ab efficienti
Medico tanquam naturæ miniſtro, id autem adipiſcitur
Amotione eorum quæ extrinſecus incidunt, vide hoc ſignum. □.
Vnitione extremarum partium leniſſimè tractando. ♂.
Conſeruatione eorum quæ ſunt vnita; require hoc ſignum. △.
Conſeruationis partis læſæ. 8.
Accidẽtium correctione. ✳.
Neceſſitate vt quæ
Cordis ſubſtantiam penetrant
Cerebri profunda & magna vulneratio
Iecinoris
Diaphragmatis
Oeſophagi
Ventriculi
Aſperæ arteriæ
Pulmonis
Lienis
Cyſtis fellis
Tenuium inteſtinorũ maximè ieiuni & aliorum membrorum principaliũ principalibus membris ſubminiſtrantibus
Spinæ medullæ inciſio
Venarum & arteriarum in faucibus exiſtẽtium magna vulneratio addit Celſus.
Magna ex parte, vt quæ
Ad regionem prædictarum partium perueniunt, vel eas leuiter attingunt.
In capitibus muſculorum ſunt facta, & quæ tribus digitis à iunctura diſtant
Penetrantia appellantur.
Rurſus vulnera quædam
Omninò ſanabilia, vt quæ
In boni ſucci corporibus, & in locis carnoſis accepta ſunt, vbi & nerui pauci, & venæ, & arteriæ non multæ reperiuntur
Diuiſionem magnam non habent.
Sanabilia vt plurimùm; quę
In capite muſculorum carnoſorum longè à iunctu-ris, & temporibus extant
In Cranio reperiuntur
In Thorace
In Ventre
In Hydropicis. 6. aph.

□ Amo-


□. Amotione eorum quæ extrinsecus incidunt, quod fit
Attractione, i. ea parte qua venit telum
Propulsione. i. à parte oppoſita ei qua venit telum infixum
Idque elicitur à
Natura & diuerſitate partis læſæ, vt in
Carne
Altè: ſi magnas venas aut neruos tranſeant propellendo: Attractione vtendum eſt, è contra contrarium facito.
Mediò: Conſiderandum vt in extremis eſt dictum.
Summò: & magnas venas, aut loca neruoſa non tranſijt; Attractione vtendum.
Oſſibus
Altè
Mediò
Summò
Semper attractione vtendum
Oſſa perforanda & rimæ aperiendę.
Eoúſq; dimouendũ vt telum laxetur.
Articulis
Altè
Mediò
Summò
Membra ſunt faſcijs diducenda, vt articuli, nerui, & tendones diſtẽdantur, & tunc facilis erit telorum attractio.
Pluribus partibus inter ſe confixis
Non per totum. Attractione vtendum, vt in carne prædiximus
Per totum: Dimidia pars ligni reſecanda, in cæteris vt anteà adnotauimus attractione aut propulſione vtendum.
Natura & diuerſitate, inſtrumentorum lædentium, qui differunt
Materia vt
Haſtilea
Lignea
Arundinea
Ferrea
Aenea
Stannea
Plumbea
Cornea
Vitrea
Oſſea
Figurâ vt
Rotunda
Anguloſa
Attractione; vt vulnus magis aperiendo, denticulata forcipe poſteà extrahimus.
Oblonga & anguſta, vt ſagittæ: ſæpiùs propulſione extrahenda
Tuſcula. i. tribus aciebus prædita
Spiculata. i. barbulata
Hęc aut tenaculis ſpicula amouemus, aut calamo Scriptorio munimus, poſteà extrahimus.
Spiculis carens, vt ſagittæ amouenda
Spiculata in anteriora
Spiculata in poſteriora
Spiculata antè & retrò
hæc vt ſpiculata remouenda ſunt.
Magnitudine vt
Magna
Parua
Mediocria
Numero, vt
Simplicia
Compoſita
Tenuia
Viribus vt
Venenata
Per epota, vt per ea quæ venenato animante icta adhiberi ſolent.
Chirurgia: vt telum priùs extrahatur: deìn totam carnem veneno emortuam incidatur, aut altè ſcarificetur, cucurbituláſque, aut tactu venenum amoueatur.
Non venenata.

δ. Vnitione extremarum partium leniſſimè tractando, idque fit
- Per ſe. i. quando ſine aliorum ope concreſcunt, & coaleſcunt, vt ſunt naturaliter mollia, veluti caro, & vniuntur
  - Vinculo, ſi ſolum in carne ſit continui diuortium, cum quo neque ſymptoma aut alius affectus ſit, & ſola faſcia orbiculatim diducta cum oui candido vtendum, tertiáque die 3. Meth. amouenda.
  - Sutura; Quando vulnus magnum adeò eſt, vt ligatura committi nequeat, & glutinatoria ſuperponenda, quæ exſiccare fluxam humiditatem valeant & an influat prohibere; taliſque apparatus vſque in diem quartum mutari non debet, niſi aliquod ſymptoma ſuperueniat.
  - Fibulis: vbi in carne adeò hiat vlcus vt ſutura difficilè ora attrahantur.
- Ope aliorum ſubſiſtunt; vt ſunt dura & ſicca omnia veluti oſſa, quæ porrò ſarcoide coaleſcunt.

Δ. Conſeruatione eorum, quæ ſunt vnita vt
- Decenti ligatura
  - Incarnatiua; Quæ fit faſcia adeò lata (Celſo autore) vt non tantùm vulnus ſed etiam labra vna circumuolutione apprehendat, à duobus initijs verſus medium eiuſdem circumuoluta; & principium deligaturæ debet fieri ex parte aduerſa loci vulnerati; ducendo alterum faſciæ principium verſus partem ſuperiorem, alterum verſus inferiorem; debétque ſupra vulnus arctior eſſe ligatura quàm in partibus adiacentibus, extremáque faſciæ acu ſunt ſuenda: competit recentibus vulneribus.
  - Expulſiua; fit faſcia ab altero tantùm principio reuoluta, incipítque ab inferiore parte membri (ſi os vulneris ſpectet ad partem ſuperiorem) vbi arctior eſſe debet, abhinc ad ſuperiorem partem facta circumuolutione, eam paulatim ſoluendo diſpenſatur; conuenit maximè antiquis vlceribus, varicibus, & tibiarum inflationibus hæc ligatura.
  - Retentiua: fit linteolo, ſeu faſcia vnicum finem ſeu caput, vel plurium brachiorum (prout res exigit) habente; cuius deligaturæ principium ſupra laborantem locum inijciatur, & in parte oppoſita vel nodis, vel ſutura fiet, competit hæc ſutura membris, quibus arctatio fieri nequit, vt in collo, ventre, & eiuſmodi.
- Appoſito membri ſitu. i. operando vt vulneris hiatus ſemper deorſum ſpectet, fundum verò ſurſum, vt ſecundo ad Glau. & 3. Meth. Galenus adnotauit: ſin autem ſectio ad oppoſita (nullo alio impediente) fienda.
- Sutura
  - Incarnatiua quæ fit quinque modis
    - Primò acu & filo ſerico ſuendo, incipiens ſuturam in medio vulneris, dein in medio ſpatio vtriuſque lateris, & ita procedatur, donec vulneris labra ritè commiſſa fuerint, ſpatium inter puncta ſit vnius digiti.
    - Secundò pinnis acubus introductis filum circa eas reuoluatur vt facere ſolent mulieres, dum ſuas acus conſeruant.
    - Tertiò ſtuppis contortis & gracilibus
    - Quartò fibulis ab vtraque parte recuruis
    - Quintò pannis qui figuram triangularem referant, viſcoſo linimento ac pertinaciter hærente oblinitis, hæc ſutura faciei, & collo maximè competit.

    } Hæc magnis & profundis vulneribus.
  - Sanguinis ſuppreſſiua, quæ fit acu filum trahente, traiectis oris vulneris per modum reuolutionis, vt pelles conſui ſolent.
  - Conſeruatiua labiorum in vnum adductorum, fit vt præcedentes ſed non ita arcta eſſe debet. competit hæc ſutura, vbi amiſſa eſt caro, & dilaceratio adeſt magna.
  - Illud autem ſemper adnotandum, quòd antequam vulnera ſuamus, ipſa priùs à ſanguine purgemus.

8. Conſeruatione partis læſæ
- Optima victus ratione, quæ ad phyſicum ſpectat
- Medicamentis vt
  - Sanguinis miſſione } ſecundùm de- } Pharmacia } bitam
    - Quantitatem
    - Qualitatem
    - Modum

    } hæc indicant
      - Plenitudo
      - Vulneris magnitudo
      - Virium robur
      - Aetas
      - Temperamentum
      - Regio
      - Victus rō præcedens
      - Conſuetudo

    Locum: Nam ſemper per contraria ſecundùm rectum vena ſecanda venit, aut medicamento purgandum 4. Meth. Galeno autore.
  - Infrigidantibus primis ſaltem diebus: poſtea vino ſtiptico pars perfundenda
  - Apertione aliquando ex aduerſo in vulnerata parte vtendum, vt in appoſito membri ſitu eſt adnotatum.

*. Accidentium correctione: Hæc ad phyſicum vt plurimùm pertinent; licèt quæ ad chirurgum proprijs ſymptomatibus, ſecundùm ſeriem literarum propria ſubijcientur remedia.

Vulnerum neruorum curatio communis adipiſcitur:
- Optima victus ratione
- Euacuatione { Venæ ſectione / Medicamentis } hæc ad medicum attinent.
- Localibus præſidijs, quæ tepida calore eſſe debent. 6. Meth. & quæ valenter exſiccant ſine moleſtia tamen. Verùm cùm magna ſit hominum differentia in temperaturis; ideò inter hæc 3. de comp. med. ſecundum genera duo medicamenta in promptu habeto, alterum altero valentius ex eodem genere medicamentorum confectum. Propriam vulnerum neruorum curationem nunc ſubſcribimus.

a. Neruo puncto & punctura eſt cæca: cutis in vulneris orificio aperienda 3. de comp. med. ſecundùm genera, & oleo dulci actu calido, & non frigido, quale eſt ſabinum vt ibidem & 6. Meth. Galenus conſuluit, vbi plura huc ſpectantia adinueniuntur remedia.

b. Neruo præciſo ſecundùm longitudinem; vulneris labra exactè committenda non ſunt, ſed in loco procliuiori turunda aliqua mollis oui luteo, terebentina, & croco illita, immittenda, aliſque remedijs vtendum, quæ traduntur à Galeno locis ſuprà citatis; & ſupra lanam molliſſima ex oleo imbuta ponatur, conſeruetúrque ſemper pannis calida, quando frigidum ſit neruis inimicum.

c. Neruo tranſuerſim præciſo ſecundùm partem; iiſdem remedijs vtendum, vt paulò ante monuimus; verùm ſi timeamus conuulſionem, reliquum quod remanſit præcidi debet, nam tunc conuulſionis periculum non ſequetur, debilis tamen particula remanebit. 6. Meth. Verùm læſio quàm mors potiùs eſt optanda. 12. Meth.

d. Neruo præciſo ſecundùm totum, & apparente nudo medicamenta eiuſdem generis applicari debent, verùm lota priùs, vt minùs mordeant, oleíſque minimè vtendum.

e. Neruo contuſo cum ſuperiacente cute fabarum farinam cum oxymellite dilutam, aut erùinam farinam cum ſapa & modico aceto, ſi magis ſiccare deſideras, adhibeto. Quòdſi magis adhuc ſiccare cupis, irim quoque Illiricam, vel Florentinam immittes: aut oui candido & roſaceo illines, ſedatóque dolore, vino quod craſſæ ſit ſubſtantiæ, & adſtrictionis particeps, partem fouebis.

f. Neruo contuſo ſine cute, partem oleo irino, aut rutaceo, aut anetino continuò fouebis, & lanam prædictis oleis imbutam ſupra pones.

g. Venæ & arteriæ ſanguinem fundentes, curantur:
- Auerſione ventoſis, frictionibus, & ligaturis, primò quidem in propinquioribus partibus, deinde in remotioribus; Quibus non conducentibus, ſanguinis tuſſione per interualla vtendum.
- Infrenatione ſanguinem aut { Incraſſando fructibus ſtipticis & auſteris. / Stupefacientibus aqua frigida tam ebibita, quàm circa locum ex quo fluit, proiecta 5. aph.
- Topicis vt:
  - Sutura communi, vel ea quam pelliones facere ſolent, præſertim in magno ſanguinis fluore, poſthęc puluis adſtrictorius ſuperponendus, dein ſtuppæ oui candido imbutæ, & puluere rubro, apponendæ ſunt; Taliſque modus ſuturæ conuenit vulneribus ſine deperditione ſubſtantiæ.
  - Linimentis ſeu turundis ſiccis, vel aceto, aut medicamentis ſanguinem ſupprimentibus illinitis, vulnus (priùs puluere rubro adſtrictorióue conſperſus) oppleatur, ſupráque ſpongiam aqua frigida madefactam imponito, & adligato; competit hic modus vulneri cum deperditione ſubſtantiæ.
  - Totius vaſis præciſione, & hoc quando venæ aut arteriæ in profundo ſunt ſitæ. 5. Meth. poſthæc puluis ſanguinem ſupprimens aſpergitur, & ſpongia, vt ſuprà madefacta, ſuperliganda.
  - Deligatura, quæ competit arterijs in penitioribus partibus delitescentibus. Itaque arteriæ denudandæ ſunt, & hamo apprehenſæ filo ſerico fortiter ſunt adligandæ ad vaſis radicem 5. Meth. Poſteà quàm citiùs medicamentum incarnatiuum vulneri imponendum, vt vulnus carne oppleatur; priuſquam vinculum ſoluatur.
  - Aduſtione, quæ fit ferro candenti, aut medicamento cruſtam inducente, inter quæ arſenicum principatum obtinet; conuenit hic modus venis ex exione adapertis. 5. Meth.

h. In ecchimoſi in principio repellentibus, dolorémque ſedantibus vtendum, qualia ſunt oui candidum, roſaceo ſubactum, vt venularum tunicæ aliquam denſationem accipiant, poſteà reſolutione; quæ variatur iuxta materiæ fluxæ ſitum. Nam ſi in ſumma cute eſt ſanguis, ſolis calefacientibus & ſiccantibus eum reſoluito; vt eſt illud quod conſtat vino, melle, & ſale, aut id quod & ceram & cuminum; vel quod ex decocto calaminthæ & hordei farina paratur, aut quod ex furfure, abſinthio, cumino, & aneto aqua vel vino coctis conficitur. Si verò in profundo materia fluxerit ſcarificatione, & maximè reſoluentibus, quarto Meth. vtendum.

i. Vulnus ſimplex ſolo vinculo orbiculatim diducto cum oui candido curatur.

k. Vulnus doloroſum fouendum ex roſaceo vel oleo communi: Quibus ſi admiſceatur (præſente maxima inflammatione)

tione) oui album, eáque abſente oui luteum, præſtantius erit remedium: Quòdſi dolor erit ſæuior, papauerino vtendum, & neceſſitate maiori cogente opij aliquid, vt mandragoræ adijciendum; ſed de his apud graues auctores agitur, ideò illuc recurrendum. Quibus ſi dolor non ſedatur, ſed augetur; neruum eſſe læſum ſignificatur, cui ea quæ neruis ſunt dicata conueniunt.

l. Vulneri cum pruritu: Aqua calida Hippocratis & Galeni conſilio membrum fouendum, aut vnguento albo Pauli, vel Ratis camphorato & ſucco plantaginis diluto, vel populeone illinendum.

m. Vulnus cum delirio, conſulendus eſt in hoc ſymptomate aliquis peritus medicus, qui vapores caput petentes aliquo ingenio deorſum trahat.

n. Vulnus cum ſpaſmo. Dum ſedantur accidentia, cerebrum eſt roborandum, ideò capite abraſo oleóque liliorum alborum perunćto, totam ceruicem & ſpinalem medullam, & inguina, & ſubaxillas eodem oleo inungemus; & quæ de neruis ſuprà ſcripſimus conſiderato.

o. Vulnus cum paralyſi, i. membri reſolutione: facta vniuerſali purgatione vnguento balſamite Meſue vtendum, verùm conſiderato

An id quod intendit chirurgus poſſit aſſequi necne, quod indicant
- Actas. Nam in valdè ſenibus paralyſis difficilè curatur, eo quia vt inquit Hipp. ſenibus parùm calidi eſt innati.
- Morbi magnitudo. Nam ab inſigni contuſione, & neruorum diuiſione paralyſis prorſus eſt inſanabilis, ècontra curationem recipit vt 3. de locis aff. contingit. in Pauſania illo ſyro ſophiſte.
- Locus affectus. Nam inquit Auenzoar, ſi nerui anhelitus fuerint vulnerati, aut alio quouis modo inſigniter affecti ſubitò mors imminet: Verùm ſi locus paralyſim patiens non imminuitur, nec etmarceſcit, aut color eius non immutatur, aliqua eſt ſpes ſalutis, ècontra contrarium iudicato.

p. Vulnus cum ſanguinis profuſione curatur eadem ratione, quam ſuprà in venis & arterijs ſanguinem fundentibus, diximus.

q. Vulnus cum ſyncopi: Quando timemus ob multam ſanguinis profuſionem & dolorem ſyncopim futuram, panis fruſtulum vino optimo flauo colore, & ſubſtantia tenui. 12. Meth. aquæ roſaceæ momento diluto, ægro ad ſugendum præbeto, atque ex vino modicum quid bibat. Cæterùm ſi iam ſyncope vexetur, eius faciem aqua roſacea, vel frigida, vel vtriuſque mixta adiecto aceti momento irrorabis, & naribus infundito, extrema fricato, pilos, naſum, & aures vellito, & cætera facito, quæ medicus præſens fieri præcipiet.

r. Vulnus cum intemperie calida, quæ rubore & loci veſicatione deprehenditur, roſis, plantagine, & vnguento albo curetur.

Cum intemperie frigida, quæ liuido colore & mollicie cognoſcitur, vino & vnguento nigro aut fuſco, aut baſilicone ſanatur.

Sic ſi humida aut ſicca intemperies vulnus apprehenderit, ſuo contrario curatur. Quòdſi eiuſmodi accidentia vulnus in vlcus degenerauerint, ad ea quæ de vlceribus ſunt deſcripta tunc decurrendum erit: Quòdſi febris adſit, conſulendus erit peritus medicus.

ſ. Vulnus cum phlegmone, aut alio quouis tumore: Inflammatio in vulneribus maximè accedit, cum vel os, vel neruus, vel muſculus, præſertim in eius capite, læſionem accepit, aut vbi parùm ſanguinis pro modo vulneris effluxit. Quòdſi accidit, ſanguinem ſtatim ſupprimere non expedit, ſed patiendum eſt fluere dum tutum erit. Quòdſi corpus robuſtum, & iuuenile fuerit, etiam ex brachio euacuandus ſanguis erit Celſo auctore libro quinto: Sic operandum circa neruos & muſculos, vt ſuprà monuimus. Quòdſi iam inflammatio in abſceſſus. i. ad ſuppurationem tenderit, ad ea recurrendum, quæ ſuprà de tumoribus præter naturam ſcripſimus.

t. Vulnus cum carne ſupercreſcenti, ſic tractatur. Carnem ſupercreſcentem medicamentis valdè exſiccantibus & acribus remoueto, vt calcantho, vitriolo, ſpongia, hermodactylis & eiuſmodi, deinde vnitionem perficito.

u. Vulnus vlceribus admixtum, ea ſunt facienda in hoc caſu quæ de vlceribus ſunt denotata.

x. Vulnus magnum. Sutura & puluere rubro quatuor diebus curatur, deinde 3. Meth. vino. Vel vt voluit Guido à Gauliaco puluere rubro terebentinæ admixto, & hoc vulnere exiſtente ſine deperditione ſubſtantiæ. Nam ſi ſecùs erit, ea requiruntur quæ paulò infrà in vulnere profundo dicentur.

y. Vulnus paruum vt ſimplex curatur.

z. Vulnus breue, longum, latum, anguſtum & ſuperficiale curantur eo ordine, quem in reliquorum vulnerum curatione ſeruauimus.

&. vulnus profundum
- Sine deperditione ſubſtantiæ, vt magnum curatur, dummodò ſanies intùs non remaneat, nam tunc effluxione (Galeni conſilio 2. ad Glau.) vtendum, quæ fit aut appoſito membri ſitu, vel contrarij loci diuiſione, quæ indicant loci affecti natura, & vulneris magnitudo.
- Cum deperditione ſubſtantiæ & tunc curatur.
  - Vnitione
  - Cauitatis repletione. hæc in exequendo priorem præcedit, quæ quibus aſſequamur quatuor indicant.

r. Primùm vulneris ſubſtantia, hæc enim indicat carnem eandem ſpecie cum ea, quæ perijt regignendam eſſe, quod fit ipſius Naturæ beneficio; Verùm quia in carnis regeneratione duplex fit excrementum, nempè ſanies, & fordes, ex prima redditur vulnus humidum, ex ſecunda ſordidum, ideò exſiccantibus & expurgantibus eget; ídque primo ordine ſiccantium & detergentium; vt ſunt thus, hordeacea farina, fabacea, & eruina, iris, & eiuſmodi.

2. Secundùm

2. Secundùm ægri temperatura, eiusdémque partis affectæ; quæ sui custodiam indicant. Quapropter licèt vulnus vt vulnus est siccantia postulet; & siccantium quædam magis quædam minùs siccent; ægri & partis affectæ natura, quæ sui custodiam indicat; qualia sint eligenda demonstrabit: Nam in siccis corporibus, quæ magis siccant, in humidis verò quæ minùs adhibemus; vt nouellam carnem deperditæ similem regeneret natura.
3. Tertiùm sunt annexa, vt partis laborantis intemperies, & aëris temperatura, & reliqua quæ curationem impediunt. Quæ indicant, quòd antequàm vulneris curationem aggrediamur, ea submoueamus (3. Meth.) quæ curationem prohibent, vt sunt erisipelata phlegmones & eiusmodi.
4. Quartum contrariæ sunt indicationes, vt quando temperies totius, non conuenit cum temperie partis affectæ; hæc indicant medicamenta adhibenda magis vel minùs sicca esse, prout magis vel minùs temperatura totius & partis distant à medio temperamento. Vt si eodem gradu temperatura totius distet à medio in humido, sicuti pars affecta distat in sicco, eligi debent siccantia temperata. Quòdsi temperatura totius distet à medio, exempli gratia tribus gradibus, & pars affecta gradibus quatuor; tunc eligi debent siccantia primo gradu. Sed quoniam hæc omnia coniectura nosci possunt, ideò requirunt chirurgum valdè exercitatum, & in cognitione totius & partis, & naturæ simplicium medicamentorum omnem speculationem habere.
5. Vulnus æquale cutis regenerationem requirit; verùm quia ex semine ortum hæc habet, ideò talis qualis erat, omninò regigni non potest; ergo simile quiddam cuti restituemus medicamentis 3. Meth. siccantibus & adstringentibus, & talibus, quæ non solùm humorum redundantiam consumant, sed & quod secundùm naturam est aliquid deradant. hoc autem facere possunt primò & per se frigida & sicca, veluti galla immatura, cortex granatorum, balaustium, acacia, sumach, & eiusmodi. Per accidens verò possunt calida medicamenta, quæ carnem colliquant 5. simpl. med. vt sunt calcitis, æs vstum, æris squama, mysis, alumen, & eiusmodi.

Vulnus contusum, suppuratione curatur; quam moliemur his quæ calfaciunt, & humectant, nam putredo ex calido & humido 4. Meth. & nouæ carnis regeneratione, vt de vulnere profundo adnotauimus.

Quòdsi caro esset multùm dilacerata, & futura videretur esse vtilis, consuatur quadam sutura laxa labia retinente.

Quòdsi ab ambiente labra facta essent callosa, & dura, nouacula (nullo alio impediente) amoueantur. Etsi ad gangrenam degenerare videatur (quod ex tarda putrefactione, fusco, nigro, aut liuido colore cognoscitur) vnguentum Aegyptiacum, aut aliud simile admoueto.

Finis vulnerum.

Vlcus


Vlcus est continui solutio cum sanie, & pure, in carnosa parte contenta; éstque
Simplex. i. alteri affectui non permixtũ, cuius differentiæ aliæ
Propriæ. i. à natura vlceris acceptæ; & sumuntur à
Figura & dicitur vlcus
Rectum
Obliquum
Retortum
Aduncum
Magnitudine & dicitur vlcus
Magnum
Paruum
Superficiale
Profundum
Aequale
Inæquale
Extrinsecùs aduenientes. i. non à substantia vlceris desumptæ, & sumuntur à
Tempore & dicitur vlcus
Recens
Antiquum
Parte affecta
Similari, & dicitur vlcus
In carne
In cute
In atteria
In vena
Instrumentali & dicitur vlcus
Aurium
Narium
Oculorum
Oris
Faucium
Pulmonis
Situ, & dicitur vlcus
Apparens
Non apparens
In principio, medio, aut fine musculi
In supernis aut infernis partibus
Secundùm longitudinem
Secundùm transuersum
Compositũ. i. alteri affectui complicatum: vt
Symptomati, & dicitur vlcus
Doloroſum A.
Dolore vacans
Purum
Sordidum B.
Sanioſum C.
Cruentum D.
Modo & dicitur vlcus
Cum intemperie E.
Phlegmonoſum F.
Eriſipelatoſum
Gangrænoſum
Canceroſum G.
Putridum H.
Cauum I.
Supercreſcens K.
Ambulatiuum L.
Cum ſua cauſa & dicitur vlcus
Spontaneum
Ab animali venenoſo
A ſimiæ morſu
Ab hominis morſu
Cum ſua cauſa & morbo & dicitur vlcus
Cacochymum
Malignum M.
Rheumaticum N.
Verminoſum O.
Arroſum P.
Cauernoſum Q.
Fiſtuloſum R.
Viſcoſum S.
Ab atra bile
Cum cauſa, morbo, & parte affecta & dicitur
Eroſio
Caries T.
Eſthiomenon
Sphacelus
Dyſenteria
V.

Vlceris


Vlceris cauſæ efficientes, vel
Antecedentes ſuccorum ſunt vitium, qui generantur
Praua victus ratione
Totius corporis vel alterius mébri, vt hepatis, & lienis vitio.
Coniunctæ vt
Intemperies ex cauſa antecedenti procreata
Vulnus in vlcus conuerſum.
Tumores rupti & aperti.
Curatio vniuerſalis (nam particularem vnicuique differentię ſecundùm literarum ſeriem apponemus) in qua conſiderandum
Quid ſit agendum, indicat affectus, qui ſui ablationem requirit. ideò
Vlcus qua vlcus eſt modicè ſiccari poſtulat.
Vt autem alteri affectui complicato, tunc vt 4. Meth. vel. require hoc ſignum. ⊕.
An id quod intendit chirurgus poſſit aſſequi nécne, indicant
Vlceratæ carnis intemperies
Sola hæcq;
Cum acceſſorio tumore
Compoſita
Simplex
hęc multoties vlcera ægrè ſanabilia efficiunt.
Vlceris
Figura. Nam vlcera rotunda peſſima eſſe ſolent, ac magno negotio ad cicatricem reducuntur.
Situm. Nam vlcera, quæ in extremitatibus muſculorum, dorſi, tibiarum, vel brachiorum ſunt, periculo non vacant, vt voluit Auicennas.
Item, vlcera interna membra occupantia periculoſa ſunt eodem auctore teſte.
Humor fluens malus ſecundùm
Qualitatem. Nam vlcera circumglabra praua ſunt, praui enim humores, illic confluentes, defluuium pilorum faciunt. Item vlcera, quæ totius corporis colorem præ ſe ferunt malignum, vitium adeſſe magnum in hepate aut ſanguine denuntiant.
Item vlcera, quæ alijs morbis ſuccedunt, vt in hydropiſi, mala ſunt.
Item vlcera, quæ ſiue antè, ſiue in morbo apparent, conſideranda. Nam ſi liueſcant, aut nigreſcant, aut arida appareant, mortalia ſunt.
Quantitatem.
Oſſis caries. Nam vlcera quæcunque annua ſunt 6. aph. 45. aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium, & cicatrices cauas fieri.
Item vlcus omne, poſtquam carne implerum eſt, ſubitò renouatur, periculum eſt, ne in fiſtulam degeneret. ſen. 4. cap. 1.

⊕. Vt autem alteri affectui cõplicato: vel
- Affectus è corpore prorsus est eximendus
- Incommodum quod infert vincere tentandum

Idque perficitur
- Optima victus ratione, quæ ad physicum attinet.
- Materiæ antecedentis auersione, ligaturis, perfusionibus, & epithematibus, vnguentis refrigerantibus & adstringentibus, vt ex boloarmenia, & ciusmodi.
- Materiæ coniunctæ euacuatione: Sanguinis missione / Pharmacia. } hæc physici sunt.
- Accidentium correctione & summotione; idque assequimur, prout vniuscuiusque symptomatis & affectus cum vlcere complicati natura requirit. Quæ nisi amoueantur, vlcus sanari non potest: & nunc subijciuntur secundùm ordinem alphabeti.
- Vlceris exsiccatione, quod erat prima vlceris qua vlcus est intentio.

A. Vlcus doloroſum, malam temperaturam, aut continui ſolutionem amouendo; ſanatur: de quibus omnibus paulò infrà ſuo loco dicetur.

B. Vlcus ſordidum, quod craſſo excremento abundat, attenuatione, & reſolutione curatur, vt lotione aquæ marinæ, vel ſaporis, aut mundificatiuo apij, vel hoc quod ℞. mellis vnc. ij. viridis æris vnc. v. quibus ſi addatur iris, centaurium minus, aut ariſtolochia, validior fiet medicamentum.

C. Vlcus ſanioſum; quod ſanie multa citra eroſionem ſcatet, exſiccatione mediocri medetur, vt plumbo vſto, ceruſa, litargyro, plantagine, & eiuſmodi; aqua aluminoſa, vnguento de plumbo, & vnguento de calce.

D. Vlcus cruentum, quod ſanguinolenta ſanie eſt plenum; præhabita vniuerſali purgatione, & auerſione, & viarum per quas materia fluit conſtrictione, vnguento albo camphorato, de boloarmenia, de tutia, aut de ceruſa cocta vtendum.

E. Vlcus cum intemperie calida infrigidantibus temperandum, vt vnguento albo, de ceruſa, de plumbo, aqua roſarum, ſucco plantaginis, ſolani, & ſemperuiuæ.

Cum intemperie frigida calefacientibus vtendum, vt vnguento baſilico, citrino, fuſco, & lotione optimi vini tepidi, aut aqua cineris, & aluminoſa.

Cum intemperie ſicca aquæ temperatæ fotu curatur, quouſque locus rubeſcat, attollatúrque particulæ moles, tunc deſinendum, & medicamentis humectantibus vtendum.

Cum intemperie humida, vino aut poſca, aut decocto cuiuſpiam auſteræ herbæ partem lauamus, medicamentáque ad ſiccius transferemus.

F. Vlcus cum phlegmone curamus medicamentis, quæ deſiccant & inflammationem arcent, ex liquidis bonum eſt vinum & poſca (Paulo auctore) ex ſiccis verò quæ inflammationibus ſunt dicata, excipiendo oleoſa & acria; priuatim verò hoc confert, quod ℞. malum punicum dulce vino incoctum, & tritum adhibitum. At ſi eriſipelas aut alij tumores vlcera vexent, ad illa recurrendum, quæ de tumoribus præter naturam priùs adnotauimus.

G. Vlcus canceroſum. Quod viſu eſt horrendum, fœtidum, labra habens dura, craſſa, tumida, atque inuerſa, colore fuſcum aut liuidum; circáque locum venas turgidas craſſóque ſanguine plenas habens, duplici nomine curatur.

Verè; vt in homine robuſto vltrò à chirurgo manum efflagitante, & in partibus vlcus conſiſtens, quæ reſecationem admittant.

1. Primò ab humoris melancholici affectu curatio auſpicanda, phyſici eſt.
2. Secundò totum carcinoma prorſus excides, ſic vt nulla ſuperſit radix, ſanguiſque ſinendus eſt fluere partes vicinas exprimendo 14. Meth.
3. Tertio cauterio actuali vel potentiali, vt arſenico, quo omnes paſſim morbi (Theodorico teſte) primo die extirpantur, vlcus cauterizandum. Quæ dum fiunt, ſemper circumuicina munienda ſunt aliquo refrigerante, vt boloarmenia, & ſimilibus; mortificatóque cancro, dolor ſedandus oleo roſaceo oui luteo admixto, & cruſtæ caſus procurandus butyro, aut ſimili vnctuoſo.
4. Quartò vlcus ipſum quod remanſit, vt caua vlcera ſanandum.

Non verè, vt in homine imbecilli, timido, & molli, & in parte, quæ opus chirurgiæ non permittit.

Cancrum augeri prohibendum eſt: Optima victus ratione / commodis euacuationibus } quæ ad Medicum ſpectant.

Loco affecto remedia imponenda, quæ dolorem leniant, refrigerent, & exſiccent, ſine mordicatione, cuiuſmodi ſunt ſolani ſuccus Galeno, plumbum vſtum & elotum, vnguentum album è litargyro, de plumbo vſto, aut alijs id genus metallicis vſtis & elotis. Aquæ etiam camphoratæ, & ſucci in mortario plumbeo ducti huic vitio efficaciſſimè admouentur; ſic & plumbi lamina, multáque remedia paſſim à Galeno, Paulo, Celſo, Aetio, & alijs ſunt deſcripta, ad quæ lector mittendus, quando hîc breuitati ſtudeamus, & ſingula remedia in medium afferre nequimus.

H. Vlcus putridum ſumum fœtidum, & cadaueroſum expirans, ſordes extraneámque caliditatem, & febrem habens, vbi ab excremento is corpus vniuerſum tibi purum apparuerit: ſic curabis; partem læſam cucurbitulis, ſcarificationibus, hirudinibus, atque fotibus (Auicenna autore) à corruptis humoribus vindicando, deinde ſordes abluendo, aut hydromelite, aut marina aqua, aut ſalſa; poſthæc vlcus mundificabis vnguento Apoſtolorum, aut Aegyptiaco, deſupérque pones mundificatiuum aliud ex abſinthij ſucco, melle roſato, farina hordei & myrrha

myrrha compoſitum, & circumiacentes partes vnguento ex boloarmenia illines, ac ſupra cætera prædicta puluillos ex ſtuppa,aut pannos lineos leues, poſca aquoſa imbutos adligabis. Si verò ſordes in putredinem conuertatur,locus abluendus erit oxycrato,aut aqua cineris,vel ſaponis,deinde emplaſtrum ex carnibus piſcium ſalſorum,farina orobi & ariſtolochia longa,& ſcylla,omnibus ex vino coctis,& cum melle mixtis ſuperaccommodabis.Quòdſi his remedijs vlceris malitia vinci non poſſit, ea admouebis,quæ de vlcere maligno adnotabimus,ſcilicet cauterium actuale vel potentiale,vt arſenicum. Quibus non conducentibus, membrum amputabis.

I. Vlcus cauum carne eſt opplendum,vt in profundo vulnere ſuprà adnotauimus.

K. Vlcus ſupercreſcentem carnem habens medicamentis ſiccantibus ſanatur,è quorum tria ſunt genera alterum altero valentius.Mediocriter carnem exedunt diphriges, ſquamma æris, & eiuſmodi: valentiora ſunt aſiæ petræ flos,ſory,calcitis,& ſimilia: validiſſima ærugo,& ſales omnes cremati.

L. Vlcus ambulatiuum ſeu phagedęnicum, in quo vitio ſucci corrodentis non ſolùm partes putridæ, ſed etiam ſanæ depaſcuntur ſuperficialiter; vt vlcus arroſum curatur,cùm ab eadem cauſa efficienti, licèt maligniori facta proueniat; ideò ſimilibus remedijs,ſed valentioribus gaudet.

M. Vlcus malignum ſeu cacoethes,in quo malignitas occulta eſt,quæ prohibet vlcus ſanari; purgato vniuerſo corpore,& remotis affectibus,& ſymptomatibus ſibi complicatis; curatur valida citra demorſum exſiccatione, quæ perficitur medicamentis adſtrictoria & digerente vi præditis,qualia ſunt terra ſigillata,diphriges,alumen, & ſimilia: Verùm cùm ampla ſit latitudo medicamentorum exſiccantium, quando altera magis, altera minùs ſiccent,ſic inter vlcera maligna alterum vlcus altero magis ſit cacoethes; corporáque omnia, quibus mederi cogimur non omninò eandem temperaturam habeant: hinc fieri non poteſt, vt vno eodémque medicamento,omnibus indifferenter vlceribus malignis quęuis corpora occupantibus,medeamur.Sed tantùm medicantium pharmacorum. 4. de comp. med. ſecundùm genera, eſſe numerum oportet, quantus ipſorum quoque vlcerum extiterit.Ideò oportet chirurgum omnia hæc prægnoſcere,& medicamenta imbecillia,moderata, & valida ſibi præparare,vt malignioribus vlceribus, & robuſtioribus corporibus valentiora applicet remedia, ad mediocria verò vlcera, & molliores, & delicatiores corporum habitus imbecillioribus medicamentis vtatur.Quæ qualia ſint Galenus loco ſuprà citato optimè diſtinguit.

N. Vlcus rheumaticum,in quo abundè fluunt humores vlcus ſanescere vetantes (corpore vniuerſo priùs, ſecundò ad Glau. congruis remedijs,& præſertim venæ ſectione purgato,& inanito) ſic ſanato partem affectam, repellentibus illinito,deinde exſiccantibus & detergentibus humores in parte collectos vacuato. Vltimò partem affectam confortato,ne ampliùs fluxionem recipiat.

O. Vlcus verminoſum,in quo apparent vermes ex humorum putredine, ſic curatur. Primò putredo arcenda,poſteà vermes exortos ſucco aut decocto abſinthij,agrimonij,centaureæ,marrhubij,& eiuſmodi vtendum. Priuatim verò Archigeni & Theodoro hoc valet,quod Rz. ceruſæ & polij parem menſuram, & cum pice liquida illinitur.

P. Vlcus arroſum,quod vitio ſucci bilioſi corrodentis & eſcaram facientis ſemper creſcit,ſic tractatur. Facta vniuerſali purgatione (nam partibus quibuſdam medicamenta diſcutientia applicanda non ſunt (13. Meth.) vbi redundantia in toto corpore,aut ſuperiacente particula ſubeſt) commodè feceris (particula ſupra modum calefacta) ſi ipſam ſtatim trigidis ſtipticis exſiccantibus refrigerabis, totam particulam vlceratam aqua aluminoſa abluendo; nam influentes humores potenter repellit hæc aqua,& ſiccat,vt voluit Auicennas,aut affectum locum irrigabis aqua plantaginis,aut roſarum,aut ea in qua ferrum ſit extinctum, aut decocto cyperi,cupreſſi, myrobalanorum,plantaginis,malicorij,balauſtij,& ſimilium: circumiacentéſque partes boloarmenia illinito; In medio verò vlceris puluis exſiccans,aut litargyrum,plumbum vſtum,tutia, & eiuſmodi apponito; Item plagellæ vnguento albo Raſis illitæ, aut vnguento de tutia ſupra vlcus ipſum dandæ ſunt, & plumaceolus poſca imbutus ſuperaddendus; dein ligatura exprimente alligandum erit. Solutio alternis diebus tantùm fienda,ſordéſque molli linteolo & ſicco detergenda; Quòdſi partes vlceri adiacentes inflammari videantur, vnguento Galeni è palmulis confecto,oleóque mirteo aut melino aut omphacino diſſoluto vtaris. At ſi durities circa vlceris labra apparuerit,ipſum vnguentum è palmulis oleo veteri aut de cherua diluendum eſt.Cæterùm ſi vlcera ipſa talia medicamenta contemnant, corpore iterum à ſuperfluis repurgato, inuſtione cauterio actuali aut potentiali materia coniuncta abſumenda veniet. Quòdſi hæc parùm profecerint, ſublimatum pauca quantitate tutò adhiberi poteſt, locus autem vlceri circumpoſitus ſemper refrigerantibus muniendus erit.Porrò ſi ne his quidem potentibus auxilijs malum ceſſerit, membrum amputare neceſſarium eſt,vt voluit Auicennas.

Q. Vlcus cauernoſum orificium habens ſtrictum,profunditatem verò latiorem, modò ſurſum, modò deorſum, modò ad latus,modò ad oſſa vergens,ſenſúmque effugiens, multóſque anfractus habens atque cuniculos, citra tamen calloſitatem & duritiem,ſic curatur.

1. Primò morbi accidentia ſummoueantur.

2. Secundò ſordes abluenda & exſiccanda venit.Modus autem exſiccandorum remediorum variatur penes varias ſinuum differentias à poſitionis ſitu tantùm Galeno acceptas. Nam ſi ſinus eſt ſurſum, adeò vt eius orificium deorſum ſpectet,tunc facilis eſt ſordium expurgatio, quando per os eius facilè ſanies defluat.Sed neque cùm ad latus declinat,aut deorſum aut ad oſſa impedit,quin è ſinu ſanies emanare queat, dummodo membri appoſitio optima (ſecundo ad Glau.) fieri poſſit, verùm ſi ſitum commodum parti dare non poſſis, quo liberè ſanies effluat: tunc pars ex aduerſo,vel & meliùs totus ſinus (nullo alio impediente) reſecandus erit. Quòdſi neque apertio in imo,neque cauitas tota diſſecari poſſit,ſinus totus eluendus erit, primò deterſorijs vt melicrato,

crato,aut vino (Galeno) aut valentioribus prout ſordes erit malignior, vt aqua aluminoſa, Auicennæ, aut vnguento Aegyptiaco aqua & melle liquato,Albucaſi, aut ex charta combuſta medicamento Galeni. Verùm ſi vlcus calidum fuerit,adeò vt virus rubens, & loturæ recenter mactatæ carnis perſimile appareat, abluendus erit aqua mulſa recenti,in qua lenticula,hordeum,roſæ,& balauſtium incocta ſint.Si verò frigidum ſit vlcus,adeò vt ſanies aquoſa & tenuis defluat,mulſa in qua coctum ſit marrhubium, abſinthium, pimpinella & myrrha eluendum eſt,& his remedijs omnibus vlcus purum reddetur, quæ erat noſtra ſecunda intentio.

3. Tertiò cauitas implenda,iuxta Auicennæ Galeni interpretis intentionem, medicinis currentibus lauatiuis, & viſcoſis vt adhæreant,intromiſſis clyſteribus aut tentis cannulatis, vt voluit Guido à Gauliaco,& ellychnijs, vt emplaſtrum Apoſtolorum ab eodem Auicenna expertum; ſed præſtat ſubſcribere medicamentum apud chirurgos maximè exercitatum,quod ℞. aquæ decoctionis hordei lib. j. mellis roſati vnc. iij. Sarcocollæ 3. ij. myrrhæ,thuris an. 3. j. vini odoriferi vnc. vj. coquantur omnia ſimul,ad tertiæ partis conſumptionem,quibus addi poteſt & aloës,& ſupraponenda eſt Galeni conſilio ſpongia noua quàm molliſſima ex oxycrato, & incipiens ab vlceris fundo arctè (ſine dolore tamen) alligetur,& in eius ore finiat, ibíque faſcia ſit minùs laxa,& ſecundo vel tertio quoque die ſpongia eximatur,conſideretúrque ſanies multa an pauca,cruda an cocta ad os vlceris effluxerit.Altas enim partes coiſſe teſtatur pus coctum aut paucum præcipuè ſi dolor aut tumor non appareant,ècontra contrarium iudicato.Quòdſi in ſecunda ſpongiæ permutatione pus crudum appareat, affecto loco medicamentum valdè exſiccans (cuiuſmodi eſt Galeni medicamentum cirrhum appellatum 2. de comp. med. ſecundùm genera) apponendum eſt; aut diapalma vt voluit Guido, aut aliud ſimile ab ipſis deſcriptum.

R. Vlcus fiſtuloſum,quod altum anguſtúmque eſt,cum oris duritie & callofitate,cuius multæ ſunt differentiæ, medici intentionem plurimùm variantes,vt in hoc ſchemate apparere poteſt.



Verùm [c] antiquis fiſtulis plurimùm valet linimentum hoc, quod ℞ vnguenti Aegyptiaci vnc. s. arſenici ſcrup. j. lixiuij vnc. iiij. aquæ roſarum vnc. ij. ſublimati 3. s. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & iniecto medicamento,fiſtulæ os eo modo occludendum,vt de ſinuoſo vulnere adnotauimus,ne id refluat.

Quòdſi multiplices fiſtulæ breues intráque [d] carnem ſint arida medicamenta, ſuperiùs adducto calamo ſcriptorio inſufflabis.

Si quando verò longior & tranſuerſa [e] eſt fiſtula (inquit Celſus) demiſſo ſpecillo contra principium huius, incidi commodiſſimum eſt,& collirium vtrinque dimitti,in quo caſu voluit Arnaldus aquam fortem alchimyſtarum adminiſtrari,& iſte eſt vnus modus calli eximendi.

Alter modus euellendi callos,& fiſtulæ figuram eſt inciſio,poſteà aduſtio ferro ignito,aut cauſtico medicamento. Igitur dimiſſo ſpecillo,ſupráque id accommodata figura,ſcalpello (nullo alio impediente) ſinus,eiúſque plexus (ſi adſunt) toti præcedenti, dein oui candido penicilla intincta vlceri ſunt imponenda, poſtera die locus adurendus vel ferro ignito vel puluere aſphodelorum, vel arſenico. Cæterùm in circuitu ſemper refrigerantia & reprimentia applicanda ſunt. Deinde aduſta fiſtula primis ſaltem diebus mitigatorio aliquo medicamento,vt oleo oui luteo admixto vtendum; poſtmodum ea quæ cruſtas ex ferro ignito aut cauſtico medicamento reſoluunt admoueto; à quarum vſu priùs non deſiſtito, quàm cruſtæ deciderint, & in pus conuerſæ fuerint.

3. Tertiò ſi aliqua ſordes remanſit poſt tales operationes, mulſo, vel aqua in qua eruum coctum ſit, & mellis aliqua parte adiecta locum abluito, vel tali medeto medicamento, quod ℞ terebintinæ in aqua vitæ ablutæ vnc. iij. ſucci apij, cynogloſſi an. 3. vj. mellis roſati colati vnc. j. s. ariſtolochiæ rotundæ 3. ij. farinæ lupinorum vnc. 5. coquantur ſucci cum terebintina & melle ad conſumptionem mediocritatis, dein reliqua admisceantur. Quòdſi prædicto medicamento aliquid myrrhæ adiecteris, ſarcocollæ, iridis, radicis peucedani an. medicamentum optimum efficies incarnatiuum, modò ex eo turunda illinatur, reliqua reperiuntur in antidotarijs grauium auctorum.

S. Vlcus varicoſum venas ſanguine craſſo turgidas habens, curatur varicum euulſione, quem modum Hippocrates, Galenus, Aetius, & Paulus adeò diſtinctè & apertè declarant, vt copiæ verborum non ſit hic locus.

T. Vlcus carioſum ſic corrigitur. Oportet ante omnia vitiatum os nudare vlcere exciſo, donec vndique totum os carioſum appareat; deinde os corruptum radendum quouſque album, vel ſolidum videatur, deinde cauterium actuale, quo ſuperflua humiditas exſiccetur, adminiſtretur, poſteà oleo roſato & oui candido per tres dies vtendum, & per tres alios dies oleo roſato & oui vitello, & deſuper continuò vnum de mundificatiuis nunc ſubſcribendis vſque ad oſſis expoliationem, applicatur. Vt agreſtis papaueris & fici arboris folia cum polenta leuigato, & oſſi ſinus, vino priùs loti, repleto. Aut ſemen ioſciami, & atramentum ſutorium pari pondere contrita imponito. Sed & radix peucedani contrita ſubitò ſquammas oſſium remouet. Aut hoc medicamentum tibi præparato, quod ℞ vnguenti iſis vnc. j euforbij ſubtiliſſimè puluerizati vnc. 5. ſimul mixtis, & ſupra carioſum os ab ipſius abraſione apponito; verùm vlceris labra vnguento Galeni vel roſaceo plagellis munito; hoc enim medicamentum breuiori tempore quàm cauterium actuale oſſium ſquammas remouet. Deinde vt reliqua vlcera caua ſanato.

V. In ſphacelo cutis, carníſque & neruorum apparet corruptio: Quòdſi adhuc magis ſæuiat malum, vt oſſa etiam corrumpat eſthiomenus generatur. 7. de Anatomicis admin. & 7. aph. 50. Quibus prauis vlceribus, nullum melius reperitur remedium, ipſius membri exciſione, & de his hactenus.

Finis vlcerum.

Fractura

- Fractura eſt conunui ſolutio quæcunque in oſſe, cuius differentiæ aliæ
  - Simplices. i. alteri affectui nõ complicatæ, & ſunt vel
    - Propriæ. i. à propria eſſentia deſumptæ, & conſiderantur, vel ſecundùm
      - Longum, & formam repręſentant, vel
        - Oblongæ oſſis fiſſuræ
        - Vnguis & eſt fiſſura oſſis quæ cum aliqua in parte recta ſit, in extremo tamen lunata euadit
        - Squammæ.
      - Tranſuerſum, & habent ſimilitudinem
        - Caulium
        - Raphani
        - Cucumerum.
      - Obliquum Celſo
      - Longum tranſuerſum & obliquum, quando ad ſimilitudinem farinæ vel pollinis eſt facta, cùm os in multas tenues partes ſit confractum.
    - Impropriæ. i. non à ſubſtantia rei, ſed à parte affecta acceptæ, vt fractura
      - In caluaria
      - In maxillis
      - In naribus
      - In clauiculis
      - In ſpina dorſi
      - In coſtis
      - In ſcapulis
      - In humero
      - In brachio
      - In femore
      - In crure
      - In rotula genu
      - In digitis manuum & pedum
  - Compoſitæ. i. alteri affectui complicatæ, & dicuntur, fractura
    - Cum dolore ♃
    - Cum inflammatione ♃ ♈
    - Cum pruritu ♉
    - Cum contuſione ♒
    - Cum gangræna ♋
    - Cum vulnere ♋
    - Cum fragmento oſſis ♍
    - Cum ſuperflua oſſis humiditate ♎
    - Cum nimia oſſis ſiccitate ♏
    - Cum callo nimium excreſcente ♐
    - Malè ferruminata ♑

Horum


Horum cauſæ
Efficientes, quæ
Contundunt, veluti dura & grauia omnia.
Diuidunt, vt quæ vulnerando incidunt.
Rumpunt, vt in luctatoribus ex circunuorſione aliquando accidit.
Formales, quæ tactui ſubijciuntur; Nam
Si fractura eſt ſecundùm longum apparet
Craſſities oſſis fracti non naturalis
Dolor
Inæqualitas
Si fractura eſt ſecundùm tranſuerſum, tunc
Oſſa ſeparata ſentiuntur.
Membri figura inæqualis percipitur.
Manu variè membrum tractatur.
Oſſa colliduntur.
Dolor adeſt.
Corpus membro fracto inniti non poteſt.
Curatio in qua conſiderandum
Quid ſit agendum affectus natura indicat, quæ ſui ablationem requirit, idque penes proprias differentias Galeno acceptas, vt fracturæ ſecundùm
Tranſuerſum, ſúntq; vel
Exiguæ
Magnę
require hoc ſignum. ≈.
Longum; hæ comprimendæ ſunt magis 6. Meth. in ipſo fracturæ loco, tum quod receſſit ſuo acetabulo retrudendum; reliqua verò omnia ad eundem ſe habent modum, vt de tranſuerſis adnotabimus.
An id quod intendit chirurgus poſſit perficere néne, vide hoc ſignum. ⋋.

⋋. An

Loci affecti natura: Nam oſſa minimè periculoſè franguntur media in humeris, brachijs, femoribus, cruribus,& digitis. Quò autem fractura propior capiti vel ſuperiori, vel inferiori ipſius oſſis eſt, eò peior iudicatur. ea itidem quæ in artuum vicinia eſt, curatu eſt difficilis, vel eo potiſſimùm nomine, quòd commodè ligari non poſſit, atque hæc vt plurimùm motum relinquit difficilè.

Item fracturæ non pari dierum numero ferruminantur in omnibus oſſibus, ſed in alijs tardiùs, in alijs citiùs. Caluaria triginta quinque diebus glutinatur. Brachium & tibia diebus quadraginta coaleſcunt. Firmatur cubitus diebus circiter triginta. Narium os perfractum decem & octo dierum ſpatio conſolideſcit. Coſta poſt primum & vigeſimum diem Cello, alijs poſt octauum & vigeſimum ferrumen implet. Ferè etiam intra vigeſimum quartum, & vnum & vigeſimum diem ſaneſcunt maxilla; iugulum, ſcapula, os tali, calx, manus planta. Inter vigeſimum ſeptimum & quadrageſimum humeri & femur. Coxa verò diebus quinquaginta coaleſcit Hippocrati. Pes eidem ſexaginta dierum ſpatio, ſi quieſcat, conſaneſcit, & ita de alijs perfracti cuiuſque oſſis natura dicendum eſt. Quinetiam confert ad celerem aut tardam conſanationem ægrotantis temperatura, ætas, anni tempus, & eiuſmodi.

☌. An id quod intendit chirurgus poſſit perficere néccne, indicant

Fracturæ modus. Nam ſimplex tranſuerſa tolerabilis eſt, peior vbi fragmenta, atque vbi obliqua, peſſima vbi eadem acuta, nam interdum carnem vulnerant, interdum quoque neruum aut muſculum.

Fracturæ complicatio. Nam quæ cum dolore aut inflammatione, aut carnis contuſione accidit mala eſt.

Item ſi oſſis fracturæ carnis quoque vulnus acceſſerit in malo etiam æger eſt, ídque maximè ſi muſculi femoris, aut humeri idem ſenſerint. Nam & inflammationes multò grauiores, & vt inquit Celſus promptiores gangrænas habent. adde quòd in his fracturis ferulæ applicari non poſſunt neque faſciæ, licèt huius ſæculi chirurgi nonnulli contrarium affirment, contra quos inuehit Hipp. libro de fracturis.

♍. Exiguæ primus ſcopus eſt, ægro in ſedili collocato manibus oſſa retrahere, vt exacta eorum coniunctio fiat, ſic vt priſtinam vnionem imitentur. reliqui ſcopi huc pertinentes, per ſubſequentia manifeſtantur.

1. Magnæ primus ſcopus eſt, ægro relupinato vt voluit Soranus, vinculis aut inſtrumento Hippocratico retrorſum trahere, vt è directo committantur, & interim tu qui præes 6. Meth. manibus corrigere, atque vt in priſtinam vnionem pars redeat formato.

2. Secundus ſcopus eſt poſituram ſeruare, quod aſſequimur (panniculo oui candido & roſaceo imbuto fracturæque adhibito) tuta deligatura; quæ nec nimis arcta ob dolorem nec nimis laxa, ne oſſa commoueantur, eſſe debet, ſed mediocris. Idque fiendum faſcia anguſta poſca madefacta, præcipuè in artubus, cuius terminum longitudini dari non poteſt, ſed pro magnitudine fracturæ, & perfracti membri craſſitie vtraque dimenſio varianda eſt. Modus autem deligaturæ ex Hippocrate duabus faſcijs fit; primæ faſciæ initium ſuper fracturam injici debet, ac circa eam bis terue conuolutam ſurſum verſum ferri, & illic deſinere, vt humores fluentes repellat. Altera etiam ſuper fracturam debet incipere, deorſúmque tendere, vt humores ex aduerſo deprimat, atque iterùm reducta in ſuperiore parte, vt maior fiat expulſio, deſinere. Quocirca ſecunda faſcia dimidio longior prima eſſe debet. Deinde ferulæ lana aut ſtuppa mediocriter inuolutæ circumponuntur; quæ debent eſſe leuigatæ, planæ, & æquales, & in extremitatibus leuiter deraſæ & retuſæ, in medio verò, ſeu ſupra fracturam ipſam craſſæ, & prima deligatura breuiores; eáſque mediocriter ſuperligaminibus adſtringito, & membrum aptè reponito ea ſitus figura, quæ & naturalis ſit, & conſueta, & à dolore maximè aliena. Cæterùm ſi nulla prurigo, aut inflammatio, aut dolor, aut exulceratio ſit, & oſſa commiſſa rectè fuerint, fracturáque rectè procedat, ſic manere ferulas & ligamenta ad decimum vſque diem, vel ad quintum & decimum, vel etiam ad vigeſimum, vtile eſt. Quòdſi adſit prurigo & dolor, non abs re fuerit, ſi tertio quoque die (vt iuſſit Hipp.) deligationem ſolueris, & membrum ipſum aqua temperata perfuderis.

3. Tertius ſcopus eſt pori generatio, quod à Natura fit mediante optimo alimento ad craſſum vergente. Carne igitur & vino vſque ad decem dies Hipp. præcepto abſtineto, poſt hoc tempus (à quo porus incipit generari) vinum craſſum & ſtipticum audacter concedito, cibúmque paulò pleniorem, quàm ab initio fracturæ, laboranti inſtituito.

4. Quartus ſcopus eſt accidentium correctio; Quem vnicuique fracturæ compoſitæ & complicatæ ſecundùm ſignorum zodiaci ſeriem ſubſcribemus.

♈. In fractura cum dolore & inflammatione, deligaturam ſtatim ſoluito, & lanam, oleum, & acetum, congruáque id genus auxilia parti dolenti & inflammatæ admoueto, & deligatura aut ferulæ, his permanentibus dandæ non ſunt, niſi laxè admodum, vt membrum fulciant, & medicamenta retineant; quibus remotis, vt priùs fractura curanda erit.

♉. In fractura cum pruritu aquæ temperatæ tantum ſuperinfundere oportet, quantum ad euocandum materiam coniunctam eſt ſatis, vt Hipp. Galenóque placuit, & membrum vnguento albo, aut populeone illinendum, vt recentioribus placuit chirurgis.

♊. In fractura cum contuſione carnem affectam, vt gangrænam euites, ſcarificato.

♋. In fractura cum gangræna conuenienter occurrito his, quæ in tabulis de tumoribus præter naturam adnotauimus.

♌. In fractura cum vulnere, præſidijs in id efficacibus vtitor, vt in tabulis de vulneribus deſcripſimus; cæterùm deligatura talis eſto. Orbiculares faſciæ ab vtraque vulneris parte injici debent, obliquè verò ſupra ipſum vulnus in longitudinem collocandæ ſunt, ſic vt per decuſſim ad x. literæ ſimilitudinem, iuxta hiatum occluſio ex omnibus fiat. Et ſi vulnus ſordidum erit, expurgantia medicamenta, quando erit opus, impones. Si purum carnem producentia linteolis illita, adhibebis. Porrò vbi purgatum fuerit vlcus, & in eo caro concreuit, non incommodè

commodè (quod anteà non licebat) ferulæ imponendæ erunt, vt voluerunt Hipp. Galenus, & Cornelius Celſus. Sicuti nec licet ferulas apponere, ſi fractura magna eſt, & tranſuerſalis, aut ſquammula aliqua ex oſſe reſoluitur. Quòdſi fractura fuerit ſecundùm longitudinem membri, tunc ex vtraque vlceris parte ferulas in principio curationis circundare licitum eſto. Porrò per totum id quo vulnus curatur tempus, medicamen aliquod inflammationem arcens vulneri incumbet, ac ſimplices faſciæ inijciantur, quæ ſingulis curationibus reſoluantur, alijs ſupradictis remanentibus.

♍. In fractura cum oſſis fragmento { Retuſo, in ſuam ſedem dandum / Acuto, acumen eius longius eſt præcidendum / Breuiori, lauandum & vtrinque limandum } In ſuam ſedem dandi manu aut vulſella

Maiori & membranulis circundato, ſinere oportet eum cum medicamentis reſolui, idque os vbi nudatum fuerit, abſcindere, quod maturiùs faciendum eſt, potéſt que ea ratione os coire & vulnus ſaneſcere, vt voluit Celſus lib. 8. cap. 10. Nonnunquam etiam in magno vulnere euenit, vt fragmenta quædam veluti emoriantur, neque cum cæteris coeant: Quod hoc quoque ex modo fluentis humoris colligitur, quo tempore magis neceſſarium eſt, ſæpiùs vulnus ſoluere, atque nutrire; ſequitur verò vt id os per ſe poſt aliquot dies excidat.

♎. In fractura cum ſuperflua oſſis humiditate calli generationem impediente minima, aut plurima perfuſione aquæ curatur. Quippe minima 6. Meth. cùm priùs deſiſtat quàm aliquid confluat, & qui in ſuperficie ſunt humores per halitum digerit, & qui in alto ſunt modicè liquat. Plurima verò perfuſio plus digerit quàm attrahit, atque commodat ſuperfluæ humiditati.

♏. In fractura cum oſſis nimia ſiccitate callum generari impediente, tertio vel quarto die expedit aquam calidam infundere, hanc metam perfuſionis habentes, cùm carnes in tumorem rubrum attolluntur, atque priuſquam ſubſidere incipiat, deſiſtendum eſt.

♐. In fractura cum callo nimiùm excreſcente vel diminuto vtrunque corrigitur perfuſionis quantitate, & qualitate, ciborum ét & medicamentorum, quæ extrinſecùs apponuntur, facultate, quæ emplaſticam vim habent, cuiuſmodi eſt emplaſtrum quod ex pice conficitur, callos generat & promouet. Quæ verò digerunt callos maiores factos imminuunt, Galeno autore. Paulus verò laminam plumbeam adhibet compreſſa ligatura; & à Celſo loco citato multa huc ſpectantia connumerantur, ad quem lectorem mittimus. Verùm hæc conuenire videantur callo non inueterato. Nam ſi in lapideam duritiem euaſerit, aperta ibi cute deradendus eſt, párſque eius eminens ſcalpris admotis excidenda eſt.

♄. In fractura malè ferruminata, ſi tener eſt callus, & non vltrà ſex menſes radices egerit frangere rurſus, & dirigere eam oportet. Idque hoc modo fit, calida aqua multa, vel decocto aliquo emolliente diebus aliquot membrum fouetur, & medicamento ex dialthea aut alio callum ſoluente contegitur. Deinde facta emollitione à miniſtris duobus qui in diuerſa contendant, intenditur. Et inter hæc chirurgus oſſa pertractans manibus ea diducit, compellítque id quod eminet in ſuam ſedem, atque ita alligando aſſueſcere iterùm vetuſtæ ſedi (inquit Celſus) cogit. Si vetuſtas callos occupauit, ſatis eſt (Albucaſi monitore) manum illi non admouere. Nam in extrema diſcrimina ægrotantes adducuntur.

Finis oſſis fracti.


Luxatio eſt articuli è proprio acetabulo in alienam ſedem prolapſus, quo motus arbitrarius impeditur, cuius differentiæ aliæ
Simplices .i. nulli affectui cõplicatæ, éſtque
Compoſitæ. i. alteri affectui præter naturam cõplicatæ; éſtque
Perfecta. i. completa cum os ſuo loco omninò excidit.
Imperfecta. i. non abſoluta: éſtque vel
Diſtorſio, ſpinæ dorſi maximè familiaris; fitque vel
In priorem partem
In poſteriora
Ad latera.
Ligamenti elongatio
Perfecta
Imperfecta
Et dicitur luxatio
Cum dolore
Cum inflammatione
Cum vulnere
Cum fractura
Horum cauſa
Efficiens
Externa
Caſus
Percuſſio
Violenta membri extenſio, aut diſtorſio
Interna; mucoſus humor & pituitoſus in articulis aceruatus, & ea laxiora reddens, tandem ſua ſede os producit.
Formalis
Mala partis compoſitio. Tumor enim ea parte, qua os prorumpit, apparet, & cauitas ea parte à qua os receſſit.
Dolor
Difficultas
Priuatio
motus
Curatio

Curatio in qua conſiderandum

Quid ſit agendum indicat affectus natura; qui ſui ablationem poſcit. Idq; quatuor ſcopis perficitur.

1. Luxati articuli in propriam ſedem reductione; quod vt aſſequaris, luxatum membrum in diuerſas partes (leniter tamen, & ſine dolore quatenus licet agendum eſt) decenter aut manibus, aut habenis, aut machinamento Hippocratico (quod indicat natura partis luxatæ, & prout nerui, ac tendones valent, & oſſa huc illúcue ſederunt) extendendum eſt, donec ſpatium inter oſſa liberum ſit. Tum id os, quod ſuo loco excidit, ab ea parte in qua prolapſum eſt, in contraria impellere oportet, & ita in germanum ſuum locum conſtituere.
2. Membri in ſuam ſedem repoſiti conſeruatione; conſeruabitur autem ſi roſaceo perlinatur, ac poſteà pannus lineus gracilis, vetus, & lenis rhodino delibutus ipſi applicetur: deinde ſi ſtuppæ leues, & panni multiplices ouorum candido perfuſi ſuperaccommodentur, & poſtremò faſcijs poſca madentibus, pro ratione particulæ aut longis latíſque, ſuperligetur. Quinetiam ferulæ, ſi neceſſitas vrget, circundandæ ſunt: cauenda tamen vehementior perſtrictio, ne inflammatio excitetur; híſque ritè apparatis, membrum in ſua naturali figura, & à dolore aliena reponendum eſt, nec ante diem ſeptimum, aut etiam decimum (nullo ſymptomate ſuperueniente) ipſum ſoluere oportet, aut alijs medicamentis curare, ſed ita ſinere. Porrò, ſtatuto tempore quando reſoluitur, ſi aqua calida membrum foueris, nil noxæ attuleris; Nam hi fotus dolorem mulcent, & quod in particula defluxit, reſoluunt. Vbi membrum ita foueris, mox huic emplaſtrum ex farina volatili, puluere rubro communiter appellato, & albo oui in vnum corpus reductis, adhibebis. Poſthæc membrum arctiùs alligabis Raze auctore.
3. Luxati membri à dolore & inflammatione præcautione. Hæc autem deuitabis, ſi humorum defluxum ad partem affectam fieri prohibebis, ídque fit, optima victus ratione, & euacuatione, ſanguinis miſſione, & pharmacia, quæ omnia ad phyſicum pertinent
4. Accidentium correctione, quod quomodo fiat, ex curatione luxationis compoſitæ ſuis characteribus ſignatæ, manifeſtè apparebit.

An id quod intendit chirurgus poſſit perficere nécne, indicant

Morbi & accidentia complicata; Nam, inquit Auicennas. Quibus luxationibus inflammatio, aut vulnus, aut dolor ingens accedit, hæ præterquam quòd curatu ſunt difficiles, periculo quoque non vacant; adeò vt aliquoties in ijs caſibus tutum non ſit, luxatæ particulæ reductionem aggredi, ſed ſic eam remanere (ne prolæſione mors ſequatur) melius eſſe cenſet.

Item luxatio in qua franguntur margines oſſium peſſima iudicatur.

Item quibuſcunque 6. aph. 49. & 50. à diuturno coxendicum dolore conflictatis propter mucorum copiam in articulo coacernatam, ſuo naturali acetabulo prolapſa excidit, & rurſum in natiuam ſuam ſedem, aut ſponte, aut aliter repulſa eſt, inibi tamen diu permanere non poteſt, ſed ſoluta compage lubrica continenter relabitur: ijs proceſſu temporis tibia & femur neceſſariò alimoniæ penuria contabeſcit, & omnes in claudicationem euadunt; ſi ferro ignito non vrantur, vt mucus ille abſumatur.

Temporis diuturnitas: vetuſtæ enim omnes luxationes, & quæ callo obduruerunt, vel difficillimè, vel nunquam conſaneſcunt.

Modus luxationis. Si caput in partem poſteriorem prolabatur, nunquam in ſuo ſinu compellitur, ſed mortem ſtatim affert ineuitabilem; ſic neque in ſpina vertebræ, cum toto loco mutatæ ſunt; neque etiam maxilla cum vtraque parte prolapſa eſt. Nam antequam ſuo loco reponatur, inflammatio concitatur, Celſo atteſtante.

Articuli natura. Nam genu, vt facilè prolabitur, ita non magno negotio in ſuam ſedem compellitur; digitorum etiam luxatio nullum facit negotium, ſic de humero (præcipuè in macilentioribus) intelligendum. Cubitus autem vt difficilè excidit, ita prolapſus magno impendio eſt; ægerrimè enim propter eminentiam tuberculorum ſinuúmque frequentiam reponitur.

☞. Luxatio cum dolore & inflammatione ſic tractatur Celſo lib. 8. cap. 11. autore, lana ſuccida ex aqua & oleo moderatè calido acetíq; momento imbuta ſuperimponito. Quòdſi febris acceſſit, & oſſa luxata validis tendonibus retinentur, curioſiùs hæc facienda ſunt, & maximè quæ ad victus rationem, & euacuationem attinent. Cæterùm ſedato dolore profligatáque inflammatione, tentanda eſt membri reductio, & pleniori victu vtendum, ac ſub finem curationis (ſi res ex ſententia ceſſerit) perfuſiones fiendæ ex abſinthij decocto, roſarum, muſci arborei, & oxycroceum ſuperponendum, & ad conſuetas operationes paulatim redeundum.

⊕. Luxatio cum vulnere. Multa diligentia ac prudentia eſt opus. Dum.n. hæc reponuntur, ingens periculum nonnunquam & mortem immaturam inferunt. Nam cùm ex diſtenſione adiacentes partes .ſ. nerui & muſculi inflammantur, dolores validi, conuulſiones & febres acutæ ſuboriuntur, atque hoc præſertim in cubiti gibbero, genu, ſuperioribus etiam articulis. Quantò n. principalibus membris luxati cum vulnere articuli viciniores ſunt, tantò maior timor eſt. Sed eò quoque grauius periculum concitatur, quò maius membrum eſt, & validioribus neruis continetur: ideóque humeri femorique metus mortis eſt. Hinc Hipp. lib. de luxatorum, fractorúmque oſſium coaptatione, horum repoſitionem, valentioremque ligaturam aduerſatur, ſolíſque inflammationem mitigantibus per initia vti iubet. Sic .n. (inquit) ipſis ſupereſſe licebit. Vbi autem inflammatio conquieuerit, quod ſeptem diebus aut nouem communiter fit, præfati etiam periculum apud neceſſarios ægrotantis,

grotantis, quod ex repositione futurum sit, tum quod si non reponatur, debilem ea parte hominem, & claudum fore; conabimur tutò, & sine vlla violentia os in suam sedem compellere. Porrò, vulneris curationem eandem, quæ proposita est tabula de fracturis cum vulnere administrabimus.

Luxatio cum fractura sic corrigitur, luxatio primùm si fieri potest, fractura secundò curanda erit. At si ante fracturam luxatio commodè curari non possit, fracturam primò curabimus, deinde ea callo confirmata, luxationis curationem aggrediemur. Quòd si luxatio inueterauerit, ea decocto maluæ & altheæ perfundenda est, deinde vnguento dialtheæ collinenda; posthæc emplastrum diachylon magnum superponendum erit, & loco sub his sufficienter emollito, luxatum in suam sedem dandum est.

Finis.

AD MEDICINÆ ET CHIRVRGIÆ STVDIOSOS ET AMANTES, RICHARDI FORSTERI MEDICI LONDINENSIS CONCLVSIO PARAENETICA.

VOD has tabulas Horatij Mori Venetijs primùm excusas iam demùm typis nostris imprimendas curassem, fuit in causa Chirurgiæ nostra prælectio Londini in Collegio Medicorum imprimè fundata, atque optimè constituta: qua studiosi & amantes artis Chirurgiæ, vberiorem frugem percipiant; docti spe magna ducantur, & lætentur, quòd ars indies in meliores possessores deueniat, & ab iniquissima & iniustissima calumniarum mole, qua indignè premitur, & iniquè prægrauatur, emergat; & imperiti cognitionem adipiscantur, quæque male imbiberunt Chirurgi nostri, instar anguium, senectam veterem exuant, & meliorem mentem induant, ne plus audeant quàm intelligant, sed ex arte scopum sibi præfigant, ad quem collimare possent si velint. Placuit ista epitome, præ cæteris, quòd Tagautium in tabulas tam aptè & distinctè distribuerit, & vniuersam bene medendi scientiam, quæ manuum ope indigeat, adeò dilucidè & breuiter comprehenderit, vt ad ingrediendam rationem horum studiorum, extitisse nulla alia mihi videretur accommodatior; his præsertim, qui ingredientur ad studium, & in hanc artem vestigium ponere velint, aut cupiant, antequam assiliant ad artem ipsam. Ideo, cùm hæc tabularum ratio, hoc primo anno prælegenda sit mihi, & nulla librorum copia ex ijsdem suppeditaretur locis, in quibus primùm apparebant & extabant, ex ista causa impellebam atque hortabar Typographum meo sumptu, vt monumentis & literis iterùm hoc opus consignaret. Ac ne molestiam alicui cum impensa mea exhibeam, hanc causæ & facti mei rationem expono; sed ita, vt si Zilettus mihi succenseat ob hanc nimiam diligentiam meam, in repetendis suis typis positam, pro isto compendio ego illi vicissim in gratiam redire cupiam, sime isto impendio liberaret. Valete, & doctissimum Horatium Morum, virum optimè de Chirurgia meritum, ne è memoria vestra excidat, gratè recordemini, ita vt è manibus vestris elabi hunc illius librum grauatè feratis: quem quidem ego tanti facio, pro sua compendiaria methodo in Chirurgia scribentem, quanti Hortensius olim Lucullum, cùm eum loquentem audiret.

VALETE.